# DE S. PAULINO EPISCOPO NOLÆ IN CAMPANIA ITALICA. VITA

## a Francisco Sacchino Soc. Iesu Romæ, ex Sancti scriptis & Veterum elogiis concinnata; & ab Heriberto Rosweido ejusd. Societatis Antverpiæ una cum operibus edita.

## VETUS PARTITIO.

Quamquam aptissime degessivit Auctor opusculum hoc suum in Partes quatuor, sic ut Prima doceat, Qualis Paulinus fuerit in vita seculari, usque ad num. 17; secunda, Qualis Monachus, usque ad num. 65, Tertia, Qualis Episcopus, usque ad num. 75; Quarta denique de operibus ejus agat; incommoda tamen est ejusmodi divisio instituto a nobis operi, æqualia fere Capita hactenus sectato; eaque, non tam minuta, ut pluribus titulis hiare paginas singulas sit necesse; neque tam prolixa, ut non alternis saltem foliis respirare lector possit, & quid porro sequatur ictu oculi cognoscere, ex titulo novi Capitis. Sit ergo nostro more.

## CAPUT I. Paulini Patria, nobilitas, poëtica & oratoria facultas, Consulatus.

## Pars I.

[1] Quo fine sanctus Athanasius Magni Antonii claudit, eo nobis exordio licet Pauli Magni (hac enim præfatione

dignus est) Nolani Episcopi, [Vita hæc exemplo utilis,] inchoare Vitam. Salvator noster Jesus Christus, inquit ille, glorificantes se glorificat, & servientibus sibimet, non tantum regna cælorum, sed etiam hic in ipsis montium secretis latere cupientibus, famæ tribuit nobilitatem: scilicet, ut & ipsi fruantur laude meritorum, & ceteri eorum provocentur exemplis. [Cap. 62] Hæc in Paulinum aptissime tum ex ea parte conveniunt, quod egregie Christo Jesu ille servivit, [quadripartita datur.] & illustrem nomini ejus laudem peperit; tum ex altera, quod clementissimus Dominus ipsum, obscuritatis Euangelicæ peramantem, magnifice gloriosum, non modo inter Superos, sed etiam inter mortales fecit. Hæc utraque pars ex ipsius explicatione Vitæ patebit, quæ tripartita fuit; primum, in statu populari atque communi; tum in monastico; postremo in episcopali: accedit quarta de ejus scriptis.

[2] [Gradus ætatis Paulini,] Dimidium ferme ætatis, hoc est, ad annum circiter duodequadragesimum, humanæ reipublicæ vixit: ex eo tempore ad annum septimum supra septuagesimum, hoc est, ad extremum usque spiritum, religioni & sanctitati; per gradus ita proficiens, ut ex magno Senatore major Monachus, inde maximus plane Episcopus fuerit; quo moderatior & infra merita videri titulus potest, si Magnum semel dixerimus.

[3] Humanæ vitæ ornamenta, quæcumque cadere in hominem possunt, cumulate possedit. Nobilissimus idem & locupletissimus, oris specie liberali, corpore paulo infirmiore, sed habili ad munia animi; ingenio præstanti, [humana decora.] natura cum primis bona beneficaque, & moribus suavissimis. Adhæc liberali omni doctrina excultus ac facultatibus, quæ gratiam maxime & admirationem popularem conciliant, Poëtica & Oratoria excellens. Denique summos honores, celeberrimam famam, amorem omnium & favorem adeptus est. Quæ

constat eo tandem solum magni fecisse, ut haberet quod pro Christo despiceret, quodque nomini ejus velut sacrificio consecraret. [Epist. 5] Hanc enim unam talia amandi causam esse docet Nazianzenus, & ipsemet Paulinus eleganter his verbis exponit: Ergo nihil in hunc mundum inferentibus, substantiam rerum temporalium, quasi tonsile vellus apponit; non ut sarcina impediat, quos expeditos nasci jubet, sed ut materiam nobis virtutis ad merita parienda proponat; & sit unde documentum nostræ in Deum (id est, verum Patrem ac Dominum) fidei atque pietatis edamus, si suppetant nobis cara vel dulcia; quæ præferentes Deum, magno præmio negligamus. [Epist. 10 ad Severum] Eodem pertinent, quæ, dum Melaniam laudat, ac studium pariter opusque suum, minime id quidem agens sentiensque, commendat, de nobilitate ita disserit: Perspicuum est id quoque ad operis sui gloriam Dominum contulisse, quo magis confunderetur iste mundus, qui talibus titulis gloriatur; ut, quo vanitas hominum ad contemptum mundi uteretur: simul & major salutaris exempli auctoritas (quo scilicet in illustriore persona clarius emicaret) humiliandis superborum oculis proderetur.

[4] Patriam habuit gentium principem Romam; Patricium & Consulare genus; [Patri & Genus.] necessitudines quoque & affinitates amplissimas: nam & Seniorem Melaniam, quam Consulibus avis nobilem, terrenæ se nobilitatis despicientia nobiliorem fecisse ait, sanguine sibi propinquam fuisse significat. [Epist. 10 ad Severum.] Sunt qui & ad Aniciam gentem referant, quod inter Aniciorum monumenta aliqui Paulini legantur. Quod ita si est, sacrum quoddam generi stemma accesserit, quod prima illa gens inter Romana fastigia ad Christum evecta, cælesti ejus apice humanam excelsitatem exaggerarit. [Baron. An. 394] Pontius haud dubie prænomen habuit, quo sæpe modo ab Ausonio nuncupatur: item Meropius alicubi, tum in editis prælo, [Prænomen] tum in exaratis

manu libris inscribitur, & apud quosdam Eutropius. Itaque tota appellatio, Meropius Pontius Anicius Paulinus erat.

[5] Natus est in Aquitanis, seu Burdegalæ, ubi domum habuisse ex Ausonio constat, & diserte Uranius tradit (qui Presbyter ipsius Paulini cum fuisset, ejus postea vitæ summam, aut potius mortem in litteras misit) seu Hebromagi, ut aliis videtur, [Locus nativitatis.] quam & patriam ipse Paulinus appellat. Paternum id oppidum erat haud Burdigala procul, impositum amni Garumnæ. Quippe ea tempestate civium Romanorum haud pauci, quibus in proviciis latifundia possiderent, in iis & domicilia collocabant. Inde factum opinor, ut Paulinus Aquitanus patria censeretur; eoque veluti suo cive non injuria Galli semper gloriati sunt hodieque gloriantur. [Epist. 5 ad Severum.] Quamquam apad S. Ambrosium dum legimus ita scriptum, Paulinum splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum, minime putamus comparari cum Aquitana nobilitate, sed solum designari locum, ubi Paulinus degebat, & vendiderat facultates: & fortasse, ut ingens Scriptor virque optimus suspicatur Cæsar Cardinalis Baronius, verborum series a librariis immutata est, cum scribere debuissent, Paulinum splendore generis nulli secundum, in partibus Aquitaniæ venditis facultatibus, & quæ sequuntur. [Epist. 36] Hic enim splendor erat generis Paulini, [ubi supra] non qui nulli Aquitanorum, sed qui vix ulli omnium cederet. Quod & ex Prudentio constat, qui adversus Symmachum scribens, dum Romanam, quæ ad Christum transierat, nobilitatem recenset:

*Non Paulinorum, inquit, non Bassorum dubitavit*
*Prompta fides dare se Christo, stirpemque superbam*
*Gentis patriciæ venturo attollere seclo. [Libr. 1]*

Patrimonium ei peramplum, ingentiaque prædia fuisse, [Divitiæ.] cum alii testantur omnes, tum satis ostendit

**Ausonius, dum Paulinum ab secessu Hispanico revocans, inter alia ingerit:**

***Ne raptam sparsamque domum, lacerataque centum***
***Per dominos veteris Paulini regna fleamus.***

**Quibus ex regnis quantumvis multum Poëtica demat hyperbole, plurimum tamen semper in patrimonio reliquum fiet. [Epist. 23.] Nec solum in Aquitania Hebromagum, & alias possessiones, itemque Narbonæ alias, sed & in Italia Fundis, & apud Nolam habuit: unde etiam Romana stirps affirmatur.**

**[6] Seculo aureo cum juxta virtutes litteræque, præsertim sacræ, [Quo tempore natus?] plurimum colerentur, sub annum salutis humanæ trecentesimum quinquagesimum tertium ortus est, ut splendidissimo seculo & hoc lumen accederet; vicissimque ipsi copia foret ex aliena luce multiplicandæ suæ. Ita factum est, ut ad excolenda magnarum laudum semina, acre judicium, solers ac ferax ingenium, bonam atque tractabilem mentem, quæ natura excellens indiderat, egregium magistrum nancisceretur, Decius Magnus Ausonius is fuit, Poëticis idem & Oratoriis virtutibus inclytus inter ejus ævi primos. [Ausonius Gallus ejus Magister.] Is cum sua sponte, tum Paulini docilitate ac moribus, ad hæc veteri parentum inter se utriusque necessitudine & caritate compulsus, ita instituendum regendumque nobilem puerum suscepit, ut sedulitate industriaque præceptoris, humanitate patris ac pietate docuerit formaritque: nec aliter postea, quam filium consueverit nominare. Paulinus sequi manum fingentis, avide in studia rapi, nulla non Scriptorum monumenta terere; parcius tamen Historicos versabat: in Oratoribus ac Poëtis totus erat. Denique ita profecit, ut in utraque facultate, sive Oratoria sive Poëtica, vel adæquarit docentis gloriam, vel etiam superarit.**

[7] De Poëtica excellentia testimonium Ausonii in promptu est:

*Et quæ jamdudum tibi palma Poëtica pollet, [Paulinus quam excellens Poëta.]*
*Lemnisco ornata, est, quo mea palma caret.*
*Cedimus ingenio, quantum præcedimus ævo:*
*Assurgit Musæ nostra Camœna tuæ. [Epist. 20]*

Quippe est nemo qui nesciat, victoribus sacrorum certaminum præmia fuisse palmas: quibus si tæniæ quædam ac vittæ, quæ primo ex phylira, deinde ex materia pretiosiore fieri cœptæ, additæ essent, decus simul & auctoritas accedebat. Id genus tæniis lemnisci erat nomen. Inde clariores lemniscatæ palmæ, quam puræ. Porro Domitianus Romæ certamen inter Oratores quoque & Poëtas instituit. Ergo seu vere proprieque palmam lemniscatam ex tali quopiam certamine inter Poëtas retulerit Paulinus, seu (quod libentius crediderim) per colorem sic nominet Ausonius, intelligere est, quantum adesset Paulino ex Poësi celebritatis, qui Ausonio per id tempus summo vate major haberetur. Neque enim id per assentationem ab magistro, aut per paternam in alumnum indulgentiam, potius quam vere dictum existimabit, qui ipsorum inter se ingenia stylumque componat. Haud dubie Paulini lenior, ac suavior, itemque magnificentior natura ac vena erat; cui, ut idem testis est Ausonius, mellea quædam inerat modulatio; vegeta & sublimis alacritas, sic appetenti summa, ut non decideret. [Epist. 19] Nec vero Poëtæ florentis, facultas existimanda est ex his quæ extant carminibus, ex Euangelica simplicitate conditis post abdicatas Musas: sed cogitandum, hæc ipsa cum tamen talia sint, profecto dum ferveret ambitio, placendi studium, & cupido famæ stimularent, atque exacuerent curam; dum omnia Poëtarum myrothecia scrutaretur; simulque hinc alti vigor ingenii dictionem attolleret, inde

nobilitas morum ac lenitas temperaret; extitisse aliquid valde perfectum, quod merito & doctis & multitudini perplaceret.

[8] Quid autem soluta numeris oratione posset, instar omnium sancti Hieronymi elogium est Ingens ille Doctor, [Quantus Orator.] qui toti erat miraculo orbi terrarum, ita Paulinum admirabatur, ut, cum enumerasset Scriptorum Ecclesiæ Latinorum prima lumina, Tertullianum, Lactantium, Victorinum, Hilarium, Cyprianum, neque eos, qui tum vivebant florebantque, excepisset; ostendissetque, singulis ad perfectionem aliquid deesse, unum statuat Paulinum, in quo nihil desideretur: prædicens fore, si interior accederet divinarum scientia litterarum, ut Scriptores cum Latinos omnes, tum etiam Græcos, non ita olim prægrederetur. Interque cetera, O si mihi liceret, inquit, istiusmodi ingenium, non per Aonios montes & Heliconis vertices, ut Poëtæ canunt, sed per Sion, & Itabyrium, & Sina excelsa ducere; si contingeret docere quæ didici, & quasi per manus mysteria tradere Scripturarum; nasceretur nobis aliquid, quod docta Græcia non haberet. [Epist. 13] Et mox: Si quasi extrema manus operi tuo induceretur, nihil pulchrius, nihil doctius, nihil dulcius, nihilque latinius tuis haberemus voluminibus. Addit: Magnum habes ingenium, & infinitam sermonis supellectilem; & facile loqueris, & pure; facilitasque ipsa & puritas mixta prudentiæ est. Capite quippe sano, omnes sensus vigent. Huic prudentiæ & eloquentiæ si accederet vel studium, vel intelligentia Scripturarum, viderem te brevi arcem tenere nostrorum. Hæc scripsit ille, quam acris judicii, tam liberi oris Doctor, de Paulino, haud longo tempore postquam is totum se ad pietatem contulisset, etiamnum tirone sacris in disciplinis: propterea subjicit: Qui talla habes rudimenta, qualis exercitatus miles eris? Sed Paulinus præ animi submissione, ut suo tradetur loco, etiam illum in Christiana sapientia posthabuit principatum.

[9] Interim tamen, antequam se absconditæ mundo ambitioni, humilitatis Crucisque obsequiis penitus manciparet, [Quam gratiosus.] cum talia haberet ingenii, doctrinæ, ac linguæ ornamenta; quæ natalium splendore illo, ac divitiarum copia longe clariora ad vulgus & mirabiliora efficiebantur; haud mirum est si fama clarissima, si gratia maxima, & honoribus quoque summis floreret: & Consulatum, eumque ordinarium, [Fit Consul.] qui primus ab Imperio gradus honoris censebatur, in flore juventæ, ante Ausonium, longe ætate præeuntem, consequeretur. Non inficiatur Paulinus hanc honorum suorum festinationem: sed undecumque profectus & abiiciendi sese materiam solitus rapere, id quoque ad elevandam sui ab seculo recessus admirationem refert, tamquam. saturatus abierit, & honorata a primis annis persona, ut ad Severum scribit, maturare sibi potuerit gravitatem. [Epist. 1 ad Severum.] Ausonius vero diserte præivisse sibi Paulinum honoribus profitetur, dum, quare contra temporis morem, ejus nomen in epistola præposuerit suo, his verbis excusat:

*Paulino Ausonius. Metrum sic suasit, ut esses*
*Tu prior, & nomen prægredere meum:*
*Quamquam & Fastorum titulo prior, & tua Romæ*
*Præcessit nostrum sella curulis ebur. [Epist 20]*

Ceterum Ausonius idem ita præferebat sibi Paulinum, ut pariter ab se profectum videri vellet, seque veterum ejus honorum largitorem appellet. [Quomodo provectus ab Ausonio.] Quæ nequaquam crediderim ea solum causa dici, quod honoribus dignum, præceptis & institutione reddiderit; verum etiam, quod a Valentiniano seniore ad docendos ejus liberos Gratianum & Valentinianum in aulam accitus, eaque re gratiam Principum meritus, Paulinum maxime habuerit, quem & caritatis studio, & ad suarum incrementa rerum proveheret. [Epist 24]

[10] Matrimonium quoque Paulino felix contigit, locuples femina, & sapiens, mireque consentiens, & (quæ gloria est) apprime religiosa. Nomen ei Therasia. Una fœcunditas defuit ad cumulum terrenæ felicitatis: sed ideo fortasse defuit, [Therasia Paulini conjux.] ut de sterilitate corporum, fœcunditas augeretur animorum; & inde felicitatis æternæ cumulus nasceretur, unde manca erat humana. Quippe post longa vota, soboles tandem virilis, cum agitantibus in Hispania obtigisset, ea vitalis non fuit. Itaque sub octavum ab ortu diem rapta Compluti, [Amittunt infantem filium.] admonuit scilicet parentes, simulque viam expedivit, ut meliorem recte factorum progeniem, & minime caducam meritorum posteritatem desiderarent, quemadmodum sanctus Ambrosius interpretatur. [Epist. 30]

## ANNOTATA D. P.

Ad marginem, pro eo quod textus totum Vitæ tempus finit per annum septimum supra septuagesimum, notabatur secundus supra octogesimum: & hac ratione videtur Rosweidus, diversam suam a Sacchini calculo opinionem significatam voluisse.

Hieronymus in Chronico ad annum Valentis & Valentiniani X, Melania nobilissima mulierum Romanarum, Marcellini quondam Consulis filia. Sed Paulinus, cui notior esse debuit, Marcellino Consule avo natam dicit: sanguinis tamen cum Paulino propinquitatem, necdum aliter in ea epistola indicatam reperi, quam quod illius hospitio Nolæ sit usa cum suo comitatu, anno (ut cap. 11 docet Chiffletius) 398.

Hic mihi primum se prodidit Auctor Sacchinus ex recordatione similis phrasis in Vita B. Stanislai: & congruit ætas qua ille scripsit jam Secretarius Societatis, & ab historia scribenda amotus, eoque forsan nomen supprimi

voluit; vel quia vicinam mortem cogitans, nihili faciebat apud homines nominari.

Ita ille ex mente Baronii an. 375 num 1, existimantis eum annum, post Consulatum Gratiani Aug. III & Equitii solitum nuncupari in Fastis, Paulini Consulatui posse assignari; cum tamen expresse dicant Hieronymus & Prosper, quod Quia superiore anno Sarmatæ Pannonias vastaverunt, iidem Consules mansere, ne scilicet novorum Magistratuum lætitia nimis cito aboleret mærorem e clade conceptam, & vacaturis ideo Fastis signandam. Contra eos tamen, qui omnino Consulem negant fuisse Paulinum; & Ausonii verba alio torquent, asserit Chiffletius, Suffectum saltem fuisse in reliquum annum 378, quo idem Imperator & Consul Valens, V Idus Augusti cæsus a Gothis, & combustus est. Constat autem in iis Fastis, qui annorum supputandorum causa passim terebantur manibus, nullam suffectorum habitam rationem; alios autem antiquiores, quo singuli cujusque annui Magistratus scribebantur, frustra nunc requiras.

Præturam Urbanam, inquit Chiffletius, solebat biennio præcedere Ædilitas curulis; cum ergo ex Codice Theodosiano, l. 4 & 5 de Scenicis, pro anno 380 habeamus Paulinum Prætorem Urbanum, consequens foret ipsum anno 378 istud fuisse, atque ab Ædilitate eodem anno ad Consulatum transisse, ac deinde factum Prætorem; esto ex legibus non ante annum ætatis 37 Ædilis, nec ante 39 Prætor fieret; nam ab illis legibus labente Imperio facilis erat exemptio: anno autem 378 vix plus quam 24 annos numerabat Paulinus, ex calculo præscripto.

## CAPUT II.
## Paulini Baptismus Burdegalæ susceptus, Monachatus in Hispania assumptus.

[11] Universa Paulini decora consummabat, & jucundissima quadam luce gratiaque respergebat ac publicabat mira viri suavitas, [Paulini ingenium mire suave ac benignum.] lenitas, & beneficentia: quæ tanta erat, ut, si quid nancisceretur quod gratum speraret amicis fore, mallet iis gratificari, quam genio indulgere suo. Inde illa Ausonii ex frequenti experimento grata exclamatio: Quid autem tam amabile, tamque hospitale, quam quod tu, ut me participes, delicias tuas in ipsa primitiarum novitate defraudas? [Epist. 12 ad Paulini.] O melle dulcior, o gratiæ venustate festivior, o ab omnibus patrio stringende complexu! Ergo vir adeo mirabilis, perindeque amabilis, non est tardum conjicere, quantis assectatorum turbis coleretur; quantum apud proceres existimationis, apud multitudinem favoris ac plausus haberet. Decus patriæ, curiæ lumen, idem senatus columen censebatur. Atqui talia fortunæ, ut vulgus nominat, id est, humanæ prosperitatis blandimenta, quo majora ac plura erant, [Ejusdem celebritas.] eo pluribus atque tenacioribus Paulinum sibi devinctum catenis seculi vanitas detinebat. Nimirum ut Christi gloria tanto fieret illustrior, ejusdemque vis gratiæ potentior appareret, cum tantus Senator universa illa pro detrimento duceret, & arbitraretur ut stercora, quo ipsum lucrifaceret Christum.

[12] Iuvat investigare quibus adjumentis & machinis divina gratia usa sit ad arcis ejus expugnationem, utque superbiæ apparatum tantum Crucis humilitati subjiceret. Sed prius indicabo, quibus in locis, quibusque muneribus ætatem egerit, antequam in recessu Nolano conquiesceret. [Summa Vitæ ante Nolanum secessum.] Pueritiam haud dubie, itemque adolescentiam, in studiis liberalibus traduxit Burdegalæ. Ibi enim Grammatices atque Rhetorices scholam Ausonius rexit. Quo translato in aulam Augusti, Paulinus ad agendas causas in fori strepitum & curiæ lucem processit; tum ad honores evectus, aliquamdiu Romæ vixit. Inde per annos fere

quindecim peregrinatus est per Italiam, Galliam, Hispaniam, terra marique; partim publicis rebus, partim (nisi me conjectura fallit) domesticis occupatus. Quos inter errores Mediolani fuit per idem tempus, quo sanctus Augustinus ibidem & Alypius versabantur: & cognitus Alypio est, quamvis ipse Alypium ignorarit. Sic enim fieri videmus, ut magnæ personæ prope omnibus notæ sint, nec ita multos norint. Eodem temporis tractu, pietate sensim in animum admissa, Burdegalæ baptizatus, Barcinone Sacerdos creatus est, inde Nolam demum migravit, ut jam per singula enucleatius exponemus.

[13] Prima secundum Deum conversionis Paulini gloria sanctissimo Presbytero Felici deberi videtur. [Conversio ejus debetur præcipue S. Felici.] Hujus invicti Confessoris, aut potius Martyris, ut Paulinus & sancta Ecclesia appellat, (nam quamquam non est mortuus in tormentis, ad mortem tamen pro Christo est tortus) latissime nomen celebrabatur. Ad ejus venerandum corpus magna prodigia & plane evidentia patrabantur. Torquebantur gravissime mali dæmones, & spectacula mira edebant in iis, quorum corpora obsedissent. Quas ob res undique Nolam ad S. Felicis sepulcrum concurrebatur. Adiit & Paulinus, eo opportunius, quod paternos circa fundos possidebat. Animum sibi juvenis beatus Martyr ita devinxit, ut statueret quietam apud eum sanctamque vitam exigere. Sub annum hæc ætatis septimum ac vigesimum apud se decrevit, tribus a lustris antequam re demum ipsa præstaret. Inde primo Natali, quem iter Nolam ex Hispania parans, condidit, sanctum rogat Patronum, ut consulat.

*Iam desideriis immenso tempore fessis.*

sospitemque ad sese producat. [Natal. I] Et sequenti Natali jam præsens ita cecinit:

*O pater, o domine indignis licet optime servis,*
*Tandem exaratum est inter tua limina nobis,*
*Natalem celebrare tuum. Tria tempore longo*
*Lustra cucurrerunt, ex quo solemnibus istis*
*Coram vota tibi, coram mea corda dicavi.*

**Ergo jamdudum etiam ante Baptismum consilia perfectæ vitæ coquebat: & protinus addit, ex quo tempore illam sibi vitam ad sancti Felicis agendam proposuerit, perpetuo ipsum, sibi inter varios terræ & maris labores adfuisse. [Natal. 2] Itaque S. Felici imprimis debetur S. Paulinus. Tanti interest Cælitum aliquem Patronum adsciscere, quem præcipuo cultu & constanti pietati venereris, cui te totum dedices, cujus omni tempore opem implores.**

**[14] [Iuvit conjux Therasia,] Inter mortales, adjumento fuisse Therasiam conjugem, gloriosa Ausonii contumelia docet, dum Paulinum carpens tamquam parum in amicitia constantem, causam in eam velut abducentem confert, Tanaquilem appellans, quæ sapientia & religionum peritia sese præferret, imperitaretque viro; & ob eam rem timeretur a Paulino. Sic enim latrat:**

*Si prodi, Pauline, times, nostræque vereris*
*Crimen amicitiæ, Tanaquil tua nesciat istud.*

**Et sane divina matronæ sapientia, & virilis constantia inde fit manifesta, quod in pauperem ac duram vitam viro certe consensit: & quidquid sive dotalium, sive aliarum habuit facultatum, vendidit, & in egentes consilio Christi pretium erogavit. [Epist. 24 ad Paulinum.] Ad hæc abundabat illa ætas magnis quibusdam & illustribus cum sapientia, tum sanctitate Episcopis. Ambrosius Mediolani, Turone Martinus, Burdegalæ Delphinus, alibique aliæ Euangelicæ lucernæ ardentes lucentesque supra candelabrum positæ, longe lateque fundebant cæleste**

lumen: & Paulinus, quantum argumentari licet, talium semper virorum consuetudinem adamavit. Enimvero ingens ad sanctitatem est gradus, usu delectari & familiaritate Sanctorum. Ergo trium maxime, quos nominavi sanctissimorum Antistitum, Paulinus exemplis, consuetudine, studioque profecit.

[15] Ambrosius jam senior, videns præclaram juvenis indolem, suavissime diligebat. Itaque ipsemet Paulinus ad Alypium scribit, [& sanctus Ambrosius] Ambrosii dilectione se semper ad fidem nutritum esse. [Epist 45. ad Alip.] De sancto Turonensi Martino, illud est conjecturæ, quod oculum quoque ægrum ei sanavit. Paulinus vero (inquit Severus) vir magni postmodum futurus exempli, [& sanctus Martinus,] cum oculum graviter dolere cœpisset, & jam pupillam ejus crassior nubes superducta texisset, oculum ei Martinus peniculo contigit, pristinamque ei sanitatem sublato omni dolore restituit. [Lib. de vita S. Martini cap. 21.] Quis vero dubitet, quin præclara S. Martini euangelicæ perfectionis documenta multum valuerint ad illustrandos ei oculos mentis, cui tantum peniculi contactus valuit ad corporis lumen redintegrandum? Sed maxime omnium ad rem eamdem repræsentandam & redigendam in opus, S. Delphinus valuit, a quo & sacro Baptismate expiatus est. [& sanctus Delphinus.] Profitetur hæc Paulinus in epistola ad eum scripta, dum ait: Meminerimus te non solum patrem, sed & Petrum nobis esse factum: quia tu misisti hamum ad me profundis & amaris hujus seculi fluctibus extrahendum, ut captura salutis efficerer; &, cui vivebam, naturæ morerer; & cui mortuus eram, viverem Domino. [Epist. 16 ad Delphinum 2]

[16] Mos erat iis temporibus, differre in multam ætatem genitale lavacrum. Quare & Paulinus non ante annum circiter duodequadragesimum nova genitus origine est a Delphino Burdegalæ: quam ob causam illum Patrem

appellat: simulque Petrum vocat, quod sanctis ejus cohortationibus ad curam salutis perductus sit, [Quoto ætatis anno baptizatus.] tamquam a piscatore hamo vitali captus. De ætate Baptismi constat ex primæ ad sanctum Augustinum epistolæ verbis: Rege ergo parvulum in terra reptantem, & tuis gressibus ingredi doce. Nolo enim in me corporalis ortus magis quam spiritalis exortus ætatem consideres: quippe ætas mihi secundum carnem ea jam est, qua fuit ille ab Apostolis in porta Speciosa verbi potestate sanatus (id est annorum amplius quadraginta) in natalibus autem animæ, illius adhuc mihi tempus infantiæ est, quæ intentatis Christo vulneribus immolata digno sanguine Agni victimam præcucurrit, & Dominicam auspicata est passionem (id est bimatus Innocentium). [Epist. 41] Non enim paschalis agnus significatur anniculus, sed infantia Innocentium: quæ pulchre dicitur intentatis Christo vulneribus immolata, quod in unoquoque eorum Christum mactare ipsum Herodianis carnificibus destinatum erat. Atque idcirco immaculati Christi victimam sic immolata infantia digno sanguine præcucurrit, & Dominicam auspicata atque exorta est passionem; quod jam tum necem in infantibus pati Christus inciperet, ad quam quidem natus erat. Sed cum haud dum tempus adesset interitus, vicarios sibi illos subjecit. Ergo si quadragenarius ætate corporis, bimus ferme erat natalibus animæ, constat sub annum octavum atque trigesimum in meliorem vitam exortum.

[17] [Statim a Baptismo cogitat Monachatum.] Sub idem quo renatus est tempus (quod divus Augustinus fecerat, nec pauci ea tempestate factitabant) ad monasticam disciplinam festinavit. Solebant quippe nonnulli, exactam Christianæ legis innocentiam considerantes, contenti Catechumenorum ordine, reservare in tempus illud Baptismum, quo se magis idoneos ad eam præstandam arbitrarentur; indignissimum rati, obligare Deo fidem, ac fallere, cum tantum flagitium sit dictum homini violare

Sacramentum. Simul ergo per vitales undas renasci animum inducebant, & ad conservandam cælestis originis dignitatem, idque præstandum quod in divina ablutione spoponderant; hoc est, ut satanæ & mundo, & pompis eorum renuntiarent (quod in populari depravatione perægre fieri videbant posse) severiorem disciplinam capessebant.

Non me fugit, viros perdoctos, natales animæ interpretari susceptionem Monachismi, & ponere baptizatum multo ante fuisse. [Baron. An. 394] Ceterum, nisi magnopere fallor, Paulinus idem satis hæc duo ad Alypium distincte memorat. Verba sunt talia: Sed de me, ne quid ignores, scias antiquissimum peccatorem, non ita olim de tenebris & umbra mortis eductum, Spiritum auræ vitalis hausisse. Baptismum manifeste describit. Nec enim adeo affirmate potuisset de Monachismo pronuntiare, per eum se spiritum auræ vitalis hausisse. Nam ut religiosæ professionis assumptio soleat comparari Baptismo, modestia tamen non fert, ut quisquam de se prædicet perinde atque per eam renatum: & inde natales animæ numeret: quod eo minus Paulino conveniebat, quia quo tempore ad Alypium ea scripsit, necdum facultates vendiderat: nec ulla se intra cœnobii septa sub alieno imperio victurus abdiderat. [Epist. 45 ad Alip.] Denique rudimentum tentabat potius ineundæ militiæ, quam militiam erat aggressus. Protinus autem ubi dixit de spiritu auræ vitalis non ita olim hausto, hoc est, de Baptismo suscepto, subdit: Nec ita olim posuisse in aratro manum, & crucem Domini sustulisse; quam ut in finem perferre valeamus, orationibus tuis adjuvemur: quæ plane perfectionis Euangelicæ institutum demonstrant.

[18] Ceterum ad hunc celsissimum consummatæ sapientiæ verticem, ne quid per inconsultum ardorem assumeret, quod insuetum opprimeret, [Sensim ad perfectionem progreditur.] nequaquam repente transiliit:

sed paulatim sensimque tentando se, præparandoque, quasi per gradus ascendit. Id ipsemet quo candore solet orationis & animi profitetur: sed ita, ut inde quoque Severum sibi præponat, quem in medio seculi æstu, abruptis potius vinculis quam solutis, ad Christum ait miraculo majore conversum. Denique, inquit, ut a calumniis & peregrinationibus requiem capere visus sum, nec rebus publicis occupatus, & a fori strepitu remotus, ruris otium & ecclesiæ cultum placita in secretis domesticis tranquillitate celebravi: ut paulatim subducto a secularibus turbis animo, præceptisque cælestibus accommodato, proclivius ad contemptum mundi, comitatumque Christi, jam quasi de finitima huic proposito via demigraverim. [Epist. I ad severum.] Ergo sub idem tempus ex aqua renatus & spiritu, & amore succensus perfectæ virtutis, cogitare secessum cœpit. Obtulit se, fortasse invitatus ab eo & allectus, socium consilii ejusdem. Sulpicius Severus; quamquam maluit postea vel sanctum Martinum sequi, vel familiam ipse suam ducere.

## Pars. II

[19] Sed ante omnes secuta illum Therasia est conjux, non jam dux ad mollitudinem (juvat Augustini ad Paulinum, & hujus ad Aprum verbis uti) vel avaritiam viro suo, sed ad continentiam & fortitudinem redux in ossa viri sui: [Secedit in Hispaniam cum Therasia.] quam exinde charitas Christi tanto illi firmioribus, quanto castioribus nexibus copularet: ut essent iidem conjuges qui fuerant, sed non ita conjuges uti fuerant: essent ipsi, nec ipsi; nempe qui sicut Christum, ita semetipsos jam secundum carnem non nossent. Cum Therasia igitur, jam non carnis tam consorte quam spiritus, in Hispaniam secessit; eam videlicet ob causam, ut egressus de domo & cognatio ne paterna, procul ab amicis ac notis, ad Domini servitutem se compararet. [Epist. 32 & 31.] Homini enim

necessitudinibus tam multis implicito, inter suos ita culto, cujus gratiam ita certatim omnes ambirent, omnino necessaria fuga erat. Sed hic animadvertendum, bis in Hispania videri fuisse: primum, negotiorum causa, cum varia loca inter pelagi ac viæ labores pervagatus, filium Compluti suscepit & amisit, uti supra memoravimus; deinde, ad ponenda vitæ Monasticæ rudimenta. Nam ut ob negotia profectis, ubi filius mortuus est, monasticæ vitæ consilium steterit, non admodum probabile putarim: sed enim tum evenisse crediderim, quod Gregorius Turonensis narrat, ut, dum sacras latebras captat, conquireretur a suis, quo se abdidisset ignorantibus: &, ut humilem asperamque vitam instituerat, pro homulo e plebe haberetur ab iis apud quos degebat, donec agnosceretur casu, & proderetur a negotiatore. Nam, postquam Nolam secessit, non ita videtur Nolanos, quibus jampridem erat cognitus, latere potuisse.

## ANNOTATA D. P.

Imo duobus plenis dumtaxat, ex nostro superiori calculo, quo conversum ponimus expleto anno ætatis 38, Christi 393 currente, quod & Chiffletius tenet cap. 5. Eoque facit, quod mox ipse dicat in Natali S. Felicis secundo, id est an. 398, æt. 43 expleto, a tempore primi propositi Nolæ concepti tria lustra sibi cucurrisse.

Quærit Chiffletius cap. 3, quo loco & tempore id acciderit; & ex Epistola ad Victricium 2 eruere se locum putat: sic enim ibi scribit Paulinus, Meminisse credo dignaris, quia Sanctitatem tuam Viennæ apud beatum Patrem nostrum Martinum viderim: quasi non nisi uno illo loco Martinum vidisse potuerit Paulinus. De tempore Chiffletius nihil addit, nisi quod etiam ex Severo putet, tunc adhuc Laicum fuisse: idque omnino est verosimile, ac pæne certum; cum mox a suscepto baptismo in Hispaniam abierit, & inde

Nolam profugerit, nec Gallias unquam repetiisse sciatur Paulinus.

S. Delphinus inscribitur Rom. Martyrologio ad 24 Decembris.

Hæc, ut dixi, scripsisse creditur Augustino Sanctus eodem anno, quo exeunte ille factus est Episcopus 395. Sed Pagius in Criticis putat se evincere, Ordinationem Augustini uno anno postponendam: quo posito posset, imo deberet Paulini ætati annus unus detrahi. Mihi necdum convincens visa est ratiocinatio Pagii, contra Prosperum opinionemque communem.

## CAPUT III.
## Paulini in suscepto novo vitæ instituto constantia, frustra oppugnata a mundanis, laudata a Sanctis.

[20] In Occidente rari tum erant, præsertim e nobilitate, qui rebus abdicatis omnibus, ad attentiorem Religionis cultum prorsus ab humano usu secederent: [Quis motus in Paulini conversione:] quin adeo id qui facerent, pro socordibus & emotæ mentis hominibus, & Bellerophontæo vitio laborantibus (sic enim Rutilius ejus seculi Poëta describit) despectui atque irrisui erant. Cumque multi Senatorum ac Procerum adhuc superstitiones Ethnicas obtinerent, hi maxime Christianæ perfectionis studiosos insectabantur, cum ipsius vituperatione disciplinæ, quæ talem sectam, velut humanæ societati publicæque rei perniciosam, edidisset. Itaque S. Ambrosius, ubi Paulini consilium (litteris opinor ejusdem) certo cognovit, qui parati clamores essent, postquam res in publicam emanasset notitiam, in hunc modum ad Sabinum describit: Paulinum splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum, venditis facultatibus, tam suis quam etiam conjugalibus, in hos se induisse cultus ad fidem comperi, ut ea in pauperes conferat, quæ redegit

in pecuniam; & ipse pauper ex divite factus, tamquam deoneratus gravi sarcina, domui, patriæ, cognationi quoque valedicat, quo impensius Deo serviat. [Itiner. I. 1] Elegisse secretum affirmatur Nolanæ urbis, ubi tumultum fugitans, ævum exigat. [Epist. 30] Matrona quoque virtuti & studio ejus proxime accedit, neque a proposito viri discrepat. Denique transcriptis in aliorum jura suis prædiis virum sequitur: & exiguo illic conjugis contenta cespite, solabitur se religionis & charitatis divitiis. Soboles eis nulla, & ideo meritorum posteritas desiderata. Hæc ubi audiverint proceres viri, quæ loquentur? Ex illa familia, illa indole, tanta præditum eloquentia migrasse a Senatu, interceptam familiæ nobilis successionem, ferri hoc non posse. [Matth. 10. 33] Et, cum ipsi capita & supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiunt sacra; si forte Christianus vir attentior sacro sanctæ religioni, vestem mutaverit, indignum facinus appellant. Equidem doleo tantam esse in mendacio observantiam, in veritate negligentiam, ut confundantur plerique attentiores ad sacrosanctam religionem videri, non considerantes vocem dicentis; Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundar & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis. Hactenus S. Ambrosius.

[21] At Paulinus, hæc reposita sibi ludibria satis gnarus, ita non expavit, ita non erubuit Euangelium, ut hac maxime constantia & libertate mirificus sit; & credere liceat, [ejusdem constantia.] ob id in primis meritum, tantam illi vicissim ab indulgentissimo Domino repensam etiam inter homines famæ celebritatem. Ante alios oblatravit famulo Christi, perque omnia ingenii artificia ejus tentavit constantiam Decius Ausonius. Hispanicum enim secessum cum perægre tulisset, [Acriter oppugnatur ab Ausonio.] ac spoliari se veteri discipulo, jamque tam claro caroque amico, nec minus opulento perdoleret; non aliis super alias interpellari litteris cessat, veterum honorum & patrimonii damna proponens; non proditæ

**crimen amicitiæ objectare dubitat, non sanctæ conjugi Therasiæ parcit; non mordere acrius, & tamquam leviter immutatum incusare ipsum veretur, occinens inter alia:**

***Vertisti, Pauline, tuos dulcissime mores.***
***Ergo meum patriæque decus, columenque Senatus,***
***Bilbilis, aut hærens scopulis Calagurris habebit? [Epist. 25]***
***Hic trabeam, Pauline, tuam Latiamque curulem***
***Constituis? patriosque istic sepelibis honores?***

**Quæ diversis annis carmina, seu potius incantamenta missa, fecit Deus (scilicet famuli sui interim vel latitantis, vel loca mutantis tranquillitati consulens) ut sero admodum eodem tempore omnia redderentur, quarto anno, ex quo nihil ab eo litterarum acceperat.**

**[22] Testatur id illud Paulini exordium, dum ad litteras simul omnes responsum meditatur:**

***Quarta redit duris hæc jam messoribus æstas,***
***Et toties cano bruma gelu riguit,***
***Ex quo nulla tuo mihi littera venit ab ore. [Epist. 1 ad Auson.]***

**Tum fallaces blanditias & dolosas querelas nobilis tiro veterana firmitate confutat. [Sed liberrime Christum confitetur & rebus & verbis.] Non ire inficias se omnia illi debere: coluisse semper, culturumque pietate etiam mansura post mortem. Ceterum si quid in alumno esset quod Christus amaret, lætari & ipsum oportere, ad quem, ut ad magistrum, pars laudis & præmii pertineret. Incolere sola loca usitatum esse Philosophis, & Poëtis & sanctis Anachoretis; quare vitio sibi ne verteret; quamquam ipse vota potius quam rem Monachorum haberet. Atque utinam, inquit, concederetur vere sub nomine Christi probra perferre! Quippe menti, quam**

Numen firmarit, nequaquam teneram esse frontem; & laudem hic contemptam redire Christo judice. Non igitur Bellerophontis insaniam sibi, nec Tanaquilem, sed Lucretiam conjugem esse. Non oblitum se patrii cæli; cum, qui Deum unum colit, ille vere sit cæli memor: neque impium posse dici, cum perinde sit, Christianum esse, & pium; contraque, non Christianum, & impium. Cum autem immutatum se audit, non statim prosilire ad morsus debere, sed pervestigare, quæ mutatio sit, cum quædam crimine vacet. Quodsi perversum deprehenderit, tum succensendum, enitendumque ut in rectum statum reponat lapsum amicum: sin autem cognoverit devovisse Deo pium pectus, eidemque credidisse confirmanti, æterna parari præmia præsentibus damnis empta,

*Non reor, inquit, id sano sic displicuisse parenti,*
*Mentis ut errorem credat, sic vivere Christo,*
*Ut Christus sanxit. [Epist. 4 ad Auson.] Juvat hoc, nec pœnitet hujus*
*Erroris; stultus diversa sequentibus esse*
*Nil moror, æterno mea dum sententia Regi*
*Sit sapiens.*

Illum se timere judicem: supremæ illius tubæ cieri terrore: id providere, ne imparatum mors opprimat; sed ut eam securo liceat animo expectare. [ibidem.] Denique præclaram Christi confessionem ita claudit, & quasi trabali clavo figit:

*Si placet hoc, gratare tui spe divite amici:*
*Si contra est, Christo tantum me linque probari.*

[23] Sed illud ex divino jambico, de gratia Christi totum immutante hominem, ostendit, quam ipsum sibi Paulinum penitus vendicasset. [Efficacia Christi gratiæ.]

*Hic ergo nostris ut suum præcordiis*

*Vibraverit cælo jubar,*
*Absterget ægrum corporis pigri situm,*
*Habitumque mentis innovat:*
*Exhaurit omne quod juvabat antea*
*Castæ voluptatis vice;*
*Totuique nostra jure domini vendicat*
*Et corda, & ora, & tempora. [Epist. 2 ad Auson.]*
*Se cogitari, intelligi, credi, legi*
*Se vult, timeri, & diligi.*
*Æstus inanes, quos movet vitæ labor*
*Præsentis ævi tramite,*
*Abolet futuræ cum Deo vitæ fides:*
*Quæ, quas videmur spernere,*
*Non ut profanas abicit aut viles opes,*
*Sed ut magis charas, monet*
*Cælis reponi creditas Christo Deo,*
*Qui plura promisit datis. [Prima virtus Monachi, contemptio humanorum judiciorum.]*

Hæc autem omnia, Paulinus quam præstans fuerit Monachus, plane demonstrant. Nam prima virtus Monachi est, ut sanctus Hieronymus docet, hominum judicia contemnere. Ergo qui talia fundamenta posuit, facilem totius molis æstimationem præbet.

[23] Enimvero vituperantium linguas, non ipse modo constantia & æquitate animi summa vicit; sed etiam, ut fortis idem dux ac sapiens magister, ad eamdem alios pugnam egregie confirmavit & erudivit; nec alia nervosius argumenta tractavit. [Epist. 26.] [Paulini de hac re egregia præcepta.] Testimonio sunt quæ in eo genere extant epistolæ duæ sexta ad Severum, prima ad Aprum. Quarum specimen huc afferri, & ad Paulini notitiam, & ad imitationem, ut in re in qua summa ferme religionis vertitur, interesse sum arbitratus. Vetat Severum vel disputare cum iis, qui consilia perfectionis Christianæ reprehendant, ut quæ non ratione humana defendenda

sint, cum auctoritate nitantur divina. Aprum admonet, talia odia & convitia vivendo melius quam loquendo revinci. Si stultum, inquit, putant esse quod gerimus, gratulare conscius tibi, quia opus Dei & præceptum Christi geris; & reminiscere, quoniam stulta mundi elegit Deus ut confundat sapientia: & quoniam quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Talibus autem velle purgari, idem est quod posse Christum ipsum negare; qui erubescentes nomen suum coram hoc mundo, erubescet invicem coram Patre confiteri suos. Tu igitur qui laboras (ut scribis) rationem pro meo ac tuo facto reddere, quid facies, si non persuaseris hominibus, non ad ædificationem suam, sed ad destructionem tuam tecum de opere Dei disputantibus? [Epist. 6] Jam erubesces, jamque pallebis, ut causæ pejoris adsertor: & motus gradu titubabis in via Domini, & de cælo in terram relaberis, si quæ ædificasti destruis. Et mox: Utinam, mi frater, digni habeamur qui maledicamur, & notemur, atque etiam interficiamur in nomine Jesu Christi, dum non ipse occidatur Christus in nobis. Tum demum super aspidem & basiliscum ambularemus, & conculcaremus caput draconis antiqui. Sed adhuc amico (quod pejus est) seculo solvimur, & in Christo deliciamur: laudari tantum in nomine ipsius amantes; contristari & tribulari, quod est utilius, recusantes.

[24] Hæc & similia his plura ad Severum; illa ad Aprum: O beata injuria, displicere cum Christo! [Epist. 26] Magis nobis timendus est amor talium, quibus sine Christo placetur. Et infra: Nos igitur taceamus istis, loquentes ad Dominum silentio humilitatis, & tunc ipse qui invictus est, pugnabit pro nobis, & vincet in nobis. In hujusmodi autem quid facere debeamus, Propheta nos docet, dicens; Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicium, & humiliabam in jejunio animam meam: videlicet, ut obtrectatores nostros, ea ipsa qua commoventur, humilitatis specie destruamus; tantoque magis

confundantur coram Domino, in antiquæ adhuc superbiæ crimine permanentes, quanto magis nos ipsi gloriamur, in quo confunduntur in nobis. [Ps. 34. 13] Proinde stabiles in fide veritatis & operatione justitiæ, talium vel odia vel convitia vivendo melius quam loquendo arguimus; quia rejiciet sermones tuos post se, qui odit disciplinam; & qui insipientem arguit (ut tenes scriptum) sumit sibi contumeliam. Sibi habeant litteras suas Oratores, sibi sapientiam suam Philosophi, sibi divitias suas divites, sibi regna sua Reges: nobis gloria, & possessio, & regnum Christus est: nobis sapientia in stultitia prædicationis, nobis virtus in infirmitate carnis, nobis gloria in Crucis scandalo, quo mihi mundus occiditur & ego mundo, ut vivam Deo; non autem jam ego, sed in me Christus; cui consepulti sumus, in quo nunc abscondimur hujus mundi oculis, ut confusioni ejusdem cum ipso revelemur: quando horum quæ nunc nobis objicit memor, dicet; Hi sunt quorum vitam æstimabamus insaniam, quomodo reputati sunt inter filios Dei? Quibus ex verbis apparet, quam pleno loqueretur ex pectore.

[25] Multo autem magis (quo scilicet rerum testimonium majus est) ex factis, [Fides Paulini insignis.] quibus verba comitabantur, apparet quam vere S. Hieronymus eam præ ceteris Paulino laudem tribuat, ut ferventissimæ fidei Presbyterum appellet. [Epist. 34 ad Iulianum.] Et junior Paulinus, is qui Vitam sancti Martini heroico versu condidit, insignis fidei gloria nobilitatum affirmet, dum in secundo volumine canit:

*Quin & Paulino similis medicina salutem*
*Reddidit, insignis fidei quem gloria late*
*Extulit. [Lib 2 Vitæ sanctæ Martini.]*

Non enim sine fidei fervore summo tanta constantia esse potuit; quod ipse Paulinus quoque declarat, cum ait: Memento granum sinapis (de quo semine sumus) si

conteratur, accendi magis, & tum demum in vim suam excitari. [Epist. 6 ad Severum.] Quamobrem debemus quasi naturæ nostræ in hoc respondere, ut adversis sermonibus contriti, inardescamus ad fidem; & eos ipsos, qui nos, ut minimos hominum, scilicet quasi granum sinapis, quod minimum est seminum, frangere conantur, uramus. [Epist. 29] Et ad Aprum: Perspicuum est quam fortiter credideris in Christo, cui jam donatum est pro Christo pati. Quin & videtur cunctarum abdicatio rerum, & sanctioris vitæ susceptio attributa fidei præcipua ratione olim fuisse, & opus fidei, vel fides nuncupata. [de glor. Confess. Cap. 107] Gregorius quidem Turonensis conversionem Paulini ita describit, tamquam auditis Euangelii verbis; ad ea vertenda in opus statim aggressus sit: quod nihil (ut reor) aliud significat, [Sententiæ ejus pulcherrimæ,] quam Euangelicas voces, quibus Christianorum aures assidue personant, sed sterili ignavoque ob eorum vitium significatu, prompta efficacique fide in Paulini mentem penitus descendisse. Hausit igitur a primo Euangelium toto pectore. Et quia (ut dulcissimis ejus formulis dicam) sapor mentis in sermone gustatur: sermo viri mentis est speculum, & thesaurus pectoris publicatur eloquio. [Epist. 32, 37, & 33] Inde est, quod divina Christi placita atque decreta, de perfecta & ad summum perducta virtute, adeo ubique magnifico ore fundit.

[26] Hinc lumina sive oracula illa, de Euangelica morte,

*Vita prior pereat, pereat ne vita futura. [Natal. 10] Et:*
*--- Moriamur ne moriamur.*
*Letalem vitam vitali morte tegamus.*

De cordis humilitate: Humilis corde, cor Christi est. [Epist. 2 ad Severum.] De condonandis injuriis: Vicem injuriæ reddere, humana ultio est; at inimicum etiam diligere, vindicta cælestis est. De Euangelica paupertate, Nihil

habemus nisi Christum; & vide si nihil habeamus, qui omnia habentem habemus; & alia passim horum similia; semper in eo fixus, sequendum Christum, eique vivendum, [Christo serviendum ita, ut vult ille sibi serviri.] lege quam docuit & sanxit, & forma quam prætulit. [Epist. 5 ad Severum.] Quæ quidem Christianis omnibus ante alias curas, imo sola cura esse deberet. Nam si mundana sapientia ita suis gloriatur erroribus (inquit S. Leo) ut quem sibi quisque ducem elegerit, ejus opiniones, & mores, atque omnia instituta sectetur; quæ nobis erit communio nominis Christiani, nisi ut ei inseparabiliter uniamur, qui est (ut ipse insinuavit) via, veritas & vita? [Ser. 2 de Resurr.] Quid igitur aliud oportet facere (ut hoc quoque ex Nysseno adjiciam) qui magno Christi cognomine dignus effectus est, nisi ut omnia sua tum cogitata tum dicta tum facta diligenter exploret, &, utrum eorum singula ad Christum tendant, an ab illo sint aliena, dijudicet? [Joan. 14] Hoc itaque faciebat ubique S. Paulinus, ut, quoniam Christi se dedicarat servitio, ad ejus leges ac nutus totum sese componeret. Contra quam plerique perversissime faciunt, non modo exitiali sed & pudendo flagitio; qui ita vitam ac mores temperant suos, tamquam non Christum, sed mundum & satanam, pro duce ac Deo sequantur; & inde nomen accepisse contenti, hinc leges accipiant. [ad Olymp. mon.] Sed ad narrationis ordinem revertamur.

## CAPUT IV.
## Sacerdos Barcinone ordinatus Paulinus, Mediolano Roma Nolam venit totumque se tradit cultui S. Felicis.

[27] Ex datis invicem Ausonii Paulinique epistolis, præcipueque ex illa, cujus initium est, Quarta redit duris hæc jam messoribus æstas, aperte constat, quatuor ferme in Hispania annos Paulinum fuisse, totum Deo deditum, cælestisque militiæ suæ tyrocinia, maximo

ardore & attentissima cura ponentem. [Epist. 1 ad Auson.] Ibi vero dum agit plerumque Barcinone, quamquam solitudinem latebrasque pias amaret, tamen abscondi non potuit civitas supra montem excelsissimæ virtutis posita. Omnium in se oculos Euangelicæ splendore lucis convertit. Itaque dum populus miratur æque eum ac veneratur, ita caritate exarsit, ut ad Sacerdotium pia vi compulerit. Vigebat is mos ea tempestate, [Paulinus ad Sacerdotium a populo adigitur.] nescias religiosior an violentior, ut quorum sanctimoniam longe eminere supra communem modum animadverterent, quosque vehementer amarent, eos populi cogerent in sacram militiam dare nomen. Ita Mediolani S. Ambrosius cooptatus Episcopus: ita Pinianus ut Presbyter crearetur. Hippone contentio tumultuosa extitit. quæ S. Augustino negotii sane multum molestiæque concivit: ita frater S. Hieronymi Paulinianus, comprehensus, & ore compresso ab Epiphanio initiatus: ita Maximum Palatinum Sacerdotio civicus amor (ut Sidonius loquitur) illigavit: ita demum noster Paulinus, per vim inflammatæ subito plebis, ab Episcopo Lampio sacratus est die natali Domini, biennio ferme post Baptismum. [4 Epist. 24]

[28] Porro cogendus fuit, non quod a divinis ministeriis mentem alienam gereret, sed ob causam duplicem. [Quanta pietate Sacerdotium susceperit ac tractarit.] Primum, quod monasticam meditaretur humilitatem, & obscurum secessum; ut qui elegerat adjectus esse in domo Dei. Deinde, quod si tandem ad Sacerdotium animum appelleret, cum indignum se augusta muneris sanctitate duceret, nihilque eximii & extra leges ferre posset, per gradus paulatim evehi, perque longam servitutem se reddere digniorem vellet. Quæ omnia Severo familiariter exponit his verbis: Nos modo in Barcinonensi (ut ante scripseram) civitate consistimus. Post illas litteras, quibus rescripsisti, die Domini a quo nasci carne dignatus est, repentina (ut ipse testis est) vi

multitudinis, sed credo ipsius ordinatione correptus, & Presbyteratu initiatus sum; fateor, invitus, non fastidio loci (nam restor ipsum, quia ad æditui nomine & officio optavi sacram incipere servitutem) sed ut alio destinatus, alibi (ut scis) mente compositus & fixus, novum insperatumque placitum divinæ voluntatis expavi. [Epist. 6 ad Severum.] Ceterum, quia Monasticæ vitæ consilium fixum hærebat pectori, tametsi tandem se consecrari permisit, excepit tamen diserte ne diœcesi certæ alligaretur, in Sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus. Quo vero sensu animi, quanta submissione, qua reverentia divinissimo jugo colla subdiderit, idem ipse ita persequitur: Data igitur cervice in jugum Christi, video majora me meritis & sensibus opera tractare: jamque arcanis & penetralibus Dei summi receptum & insertum communicare cælestia, & Deo propius admotum in spiritu ipso Christi, & corpore & splendore versari. [Ibidem.] Vix adhuc intellectum sacræ molis capio mentis angustiis; & onus muneris mei, conscius infirmitatis, horresco. Sed is, qui sapientiam parvulis dedit, ex ore infantium atque lactentium perficit laudem sibi, potens est in me etiam opus suum perficere, & munus ornare, ut se dignum faciat, quem ab indigno vocavit.

[29] Creatus Sacerdos jam totus erat in eo, ut intime cum Deo conjungeretur; eamque ob rem, ut sese facultatibus & ceteris humanis bonis, [Statuit omnia sua vendere & dare pauperibus.] velut peccatorum materia & a summo bono distrahentibus, liberaret. Quod (ut alia) jucundum fuerit, ex gravissimo ejus dulcissimoque sermone didicisse. Sic enim ad Augustinum loquitur: Interea me, de periculis vitæ istius & profundo peccatorum evadere nitentem, orationibus tuis tamquam tabula sustine; ut de hoc mundo, quasi de naufragio nudus evadam. Idcirco enim me levare sarcinis & vestimentis onerantibus exuere curavi, ut undosum hoc, quod inter nos & Deum peccatis interlatrantibus separat, præsentis vitæ salum, omni

amictu carnis, & cura diei sequentis, jubente & adjuvante Christo, expeditus enatem. [Epist. 41] Neque id me perfecisse glorior; quod etsi gloriari possem, in Domina gloriarer, cujus est perficere, [In Galliam redit, ac re ipsa distribuit universa.] quod nobis adjacet velle: sed concupiscit ad huc anima mea desiderare judicia Domini. Talia cum meditaretur, ut eadem primo quoque tempore in rem conferret, in Galliam, ut arbitror, remeavit. Hic (ut loquitur Uranius) aperuit horrea sua pauperibus, apothecas suas advenientibus patefecit. Nam parum ei erat proximos alere, [Mediolanum abit.] nisi etiam undique evocaret quos pasceret atque vestiret. Quam multos inique oppressos erexit? quam multos pro œre alieno mancipatos, persoluto œre, e creditorum servitute liberavit? quam aliis prœterea multis œs alienum dissolvit; una negotiatione creditores juxta ac debitores exhilarans, sibique obstringens; hos a miseria eximens, illis sua restituens. [Epist. 45 ad Alipium.] Rebus in Gallia compositis, vel potius Domino restitutis, Italiam ingressus, Mediolanum ad sanctum Ambrosium accessit; a quo ita exceptus est amanter & honorifice, ut de suo Clero (quoniam aliter tenere non poterat) etsi diversis locis degeret, censeri voluerit; minime aliena conjectura putantium id factum, quod illum sibi Ambrosius senectute jam gravi destinaret & cuperet successorem. [Baron. An. 394]

[30] Mediolano Romam venit. Hic vero diversis acceptus est animorum studiis, honore ac veneratione ingenti a populo, [Romam venit, & vexatur.] ab nonnullis e Clero, & a Pontifice ipso, haud sine specie quadam livoris, aut certe parum considerati zeli. Siricius erat Pontifex, parum ea re (ut dicatur mitissime) fortunatus, quod apud eum sanctus quoque Hieronymus, ut Baronius Cardinalis observat, offendit. Vehementer incubuerat, ut grassantem per ea tempora pravum morem elideret, quo laici homines, aut etiam Neophyti raptim in Sacerdotes

consecrabantur; & certa statuerat intervalla, per quæ sensim ad sacræ militiæ Ordinis ascenderetur. [Baron. An. 394] Ergo, dum Roma universa in Paulinum convertitur, & quem jam suspexerat Consulem, jam Presbyterum, ac prope Monachum admiratur; Siricius (quantum conjici licet) sivit emanare sermonem, ejus se consuetudinem nolle; scilicet, ne repentinam hominis consecrationem probare, & latas ab se ipsemet enervare leges videretur. Nihil ultra gestum satis ostendunt illa Paulini ad Severum verba, Qui nos odisse, & a consortio sanctitatis suæ segregare dicuntur. Idipsum tamen in magnum divinæ gloriæ cedebat impedimentum, & Dominicæ gratiæ detrimentum faciebat, cum ab sequendis Paulini vestigiis non paucos rumor ille de alieno Pontificis animo retardaret: cum quidem eo dignior omni venia Paulinus esset, quod nihil per contumaciam commisisset, sed inflammatæ vim multitudinis declinare non potuisset. [Epist. 1] Ceterum eo maturius filius pacis in sui Felicis optatum sinum abdidit se; ut invidia, quæ conspectu & præsentia elebatur, subducto fomite, quod evenit, extingueretur. Quodsi quid obtrectationum in paucis e Clero resedit, earum vix fama tenuis in Campaniam aspirabat: ut non secus atque aura frigida, vel importunum vacui culicis murmur (sic enim eas Paulinus appellat) ab auribus spinarum sepe munitis excluderetur. [Ibidem.] Nam, quod ad me pertinet, inquit, cum ipsis quoque qui oderunt pacem meam, mente pacificus sum; si quis enim vult contentiosus esse, hoc consuetudo nostra non recipit.

[31] Amœno in agro ad quingentos ab urbe Nola passus ossa beati Felicis Martyris quiescebant, hodieque servantur. [Recedit Nolam ad S. Felicis.] In eum veluti portum ubi Paulinus ab seculi æstu fessam ratem invexit, haud sperem equidem consequi posse dicendo, ut respirarit, quibus gaudiis exundarit, [Quam vitam hic instituerit.] ut amantissimo se Patrono totum dicarit

**permiseritque, ac totum in omnem sanctitatis præstantiam effuderit. Jam regnare, jam terrenis omnibus eminere; ante omnia persolvere, quod votivo nuper carmine illo receperat:**

***Pande vias faciles, da currere mollibus undis;***
***Et famulis famulos a puppi surgere ventos:***
***Inque tuo placidus nobis sit limine portus. [Natal. 1]***
***Illic dulce jugum, leve onus, blandumque feremus***
***Servetium sub te domino: etsi justus iniquis***
***Non egeas servis; tamen & patiere, & amabis***
***Qualescumque tibi Christo donante dicatos:***
***Et foribus servire tuis; tua limina mane***
***Munditie curare sines, & nocte vicissim***
***Excubiis servare piis, & munere in isto***
***Claudere promeritam defesso corpore vitam.***

**Hoc fideli obsequio cælesti Patrono famulans, totus ab illo pendere, [Quam pius in S. Felicem.] omnia in illo sita habere, accepta omnia illi ferre, maxime in sanctitate profectum. Quæ quasi divino instinctus afflatu venustissima cum sanctitate describens canit:**

***Tu pater, & patria, & domus, & substantia nobis;***
***In gremium translata tuum cunabula nostra,***
***Et tuus est nobis nido sinus; hoc bene foti***
***Crescimus, inque aliam mutantes corpora formam,***
***Terrena exuimur stirpe; & subeuntibus alis***
***Vertimur in volucres divini semine verbi. [Natal. 4]***

**Nihil dubitabat amari se a Martyre, saltem ut dominus amore dignatur catellum.**

**Cum, inquit, mihi vita, domus, res, gratia, gloria, panis**
**Sit Felix donante Deo — Summum quoque erga sanctum Patronum sancti clientis studium verba ad Severum illa declarant: Habes ergo libellos a me duos, unum versibus**

**Natalitium de mea solemni ad Dominædium meum cantilena: cui corpore ac spiritu quotidie, lingua autem quotannis pensito dulcissimum voluntariæ servitutis tributum, in die festo consecrationis ejus immolans Christo hostiam laudis, & reddens Altissimo vota mea. [Natal 9, Epist. 9]**

**[32] Tanta Paulini erga beatum Confessorem & Martyrem pietas, inclitum jam late per terras Felicis Nolani nomen, [Illustriorem eum reddidit primum carminibus.] multis modis clarius fecit: primum carminibus, quæ totum spargebantur per orbem terrarum: ex quibus & nos totam Martyris vitam, & sacra certamina, & gesta ad sepulcrum ejus prodigia habemus. Et haud dubie plura scripsit quam extent, cum Natales ad nos pervenerint tantum decem: ac certum videatur, a Paulino, qui novum quotannis quasi votivum solvebat, spatio ferme quinque & triginta annorum, quibus apud sancti Felicis vixit, [Secundo, Basilicarum magnificentia.] conditos multo plures. Deinde ædificatis excultisque Basilicis, & sacra pictura e veteri ac novo Testamento ornatis. Quæ sacra magnificentia mire valuit & ad frequentandas advenarum catervas, & ad sacrum Natalem Martyris religiose colendum. Hac enim salutari industria visum est Paulino capi posse detinerique hominum lumina ac mentes; & comessationes sensim tolli, quæ ex ethnica superstitione passim inter Christianos retinebantur; nec e mortalium, præsertim rusticorum, eradi moribus poterant. Addiderat picturæ titulos, & rationem consilii sic explicat.**

***---Ut dum picta vicissim***
***Ostendunt releguntquae; sibi, vel tardius escæ***
***Sint memores, dum grata oculis jejunia pascunt:***
***Atque ita se melior stupefactis inserat usus,***
***Dum fallit pictura famem; sanctasque legenti***
***Historias, castorum operum subrepit honestas,***

*Exemplis inducta piis; potatur hianti*
*Sobrietas, nimii subeunt oblivia vini. [Natal. 9]*

**[33] Multo autem maxime illustravit sanctissimum Sacerdotem domicilio suo, [Tertio, auctoritate & sanctitate sua.] institutoque vitæ mirabili, & sapientia, & ceterarum virtutum ornamentis. Accurrebatur enim e remotissimis oris non tam Felicis, quam Paulini visendi cupidine. Sanctus Episcopus Nicetas, semel atque iterum usque ab Dacis ea causa venit: quem & Natali nono Paulinus miris laudibus secundo venientem excipit, nec minoribus ante triennium erat prosecutus abeuntem Sapphico propemptico. Sanctus Augustinus, cum permolesta incidisset causa inter Bonifacium presbyterum suum, & ejus accusatorem, neque constare veritas posset; illo rogante, hoc urgente crimen; pro more ejus ætatis, quo finiri tales controversiæ jurejurando ad Martyrum sepulcra concepto solebant, utrumque Nolam ad sanctum Felicem misit: asserens causam, cur e Martyribus, ad quorum monumenta in eo genere miracula edebantur, Felicem præcipue delegisset, Multis, inquit, notissima est sanctitas loci, ubi Felicis Nolensis corpus conditum est; quo volui ut pergerent, quia inde nobis facilius fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum. [Augustin. Epist. 137] Qua oratione amicitiam, pietatem, fidemque Paulini designat, quem Augustinus quammaxime diligebat, ac mirabatur. Ita clientis existimatio & fama, quod optatissimum Paulino accidebat, amplificandis Patroni honoribus & cultui dilatando proficiebat. Inde factum non modo ut Nola civibus augeretur, sed & ad ipsum sepulcrum, ubi principio pauper congestus erat tumulus, jam species urbis extaret.**

**[34] Verum non multis post temporibus, quam ad sanctum Felicem Paulinus venerat, tamquam novi ædificii fundamentis patientia solidandis, in gravem morbum**

implicitus est. [Natal. 6] Voluit mirus rerum arbiter ac temperator Deus, [Per morbum inclarescit.] per vexationem illam, non modo exercitationem quæstuosam athletæ suo, sed & multiplex solatium afferre; & ante omnia, acceptam Romæ contumeliam resarcire; mæroremque Paulini abstergere, verentis ne opus inde divinum impediretur. Solutus est igitur tali solicitudine per eam occasionem: nam cognitus circa morbus, accolarum animos erga virum Dei nudavit. Narrat rem ipse Severo, ut gloria Deo sit, & cognoscatur summæ ejus bonitatis opus. Viderunt, inquit, pueri tui quam assidua nos, quam sedula solicitorum fratrum monachorum, antistitum, clericorum, atque etiam ipsorum sæpe seculiarium officia, toto illo nostro ægritudinis tempore celebraverint. [Paulinus Epist. I ad Sever.] Quod apud unanimitatem tuam, de Dominica tamen gratia (cujus hoc quoque opus & munus est) gloriari licet. Nemo propemodum tota Campania Episcoporum non visitare nos fas existimavit sibi. Et quos infirmitas vel necessitas aliqua devinxerat, missis vice sua clericis & litteris adfuerunt. Afri quoque ad nos Episcopi revisendos prima æstate miserunt.

## ANNOTATA D.P.

End Notea Vide Chriffletium Cap. 4, ubi ex Epist. 6 ad Severum, data sub initium anni 394, & cursu litteræ Dominicalis B, eodem anno Dominicam diem cum festo Nativitati Christi componente, concludit, rem actam anno 393 exeunte, primo adhuc anno conversionis.

## CAPUT V.

## Paulini cum Afris Episcopis præsertim Augustino amicitia, aliorum Sanctorum judicia de ejus exemplo, ad mundi contemptum efficaci.

[35] Porro quod postremum dixit de Afrorum legatione Episcoporum, ita res habuit. Iampridem (uti supra est

indicatum) Paulinum Alypius, quamquam ignotus, norat Mediolani. Is jam Episcopus tam insignem viri mutationem ut audivit (nam celerrime fama longissime pervagata est) salutandum sibi per literas officio Christiano putavit: [Africani Episcopi Paulinum salutant.] donoque misit S. Augustini quinque libros contra Manichæos. Horum lectione voluminum ita captus est Paulinus, ut non modo gratias Alypio summas egerit; sed & ultro ad Augustinum, ejus plenas laudibus suaque modestia litteras destinarit, misso puero, per quem alios quoque insignes Africæ viros salutaret. [Augustini & Paulini mutua charitas.] Quæ litteræ ubi perlatæ sunt in Africam, & sapientiæ viri sanctitatisque specimen præbuerunt, mirum quam cupide lectæ vulgatæque sunt, & adversus ipsum Paulinum quam incredibilia concitarunt Africanorum studia Sacerdotum & Monachorum. Ante omnes ipsorum inter se Paulini & Augustini, ut Davidis & Ionathæ, conglutinatæ sunt animæ. Quæ nec fidelius describi, nec dulcius a quopiam possunt, [Augustini de Paulini litteris judicium,] quam ipsa Augustini, id est, illa veritatis lingua & caritatis exequatur: qui sane & præcipuo studio accurasse descriptionem videtur, eique mellis sui quasi medullam largiter inspersisse. Sic exorditur: O bone vir, o bone frater, latebas animam meam: & ei dico ut toleret, quia adhuc lates oculos meos & vix obtemperat, imo non obtemperat.

[36] Deinde interposita disputatiuncula de dolore, quod eum de facie ignoraret, subjicit: Quomodo ergo non doleam, quod nondum faciem tuam novi, hoc est, domum animæ tuæ, quam sicut meam novi? [epistola 32 expressum.] Legi enim litteras tuas fluentes lac & mel, præferentes simplicitatem cordis tui, in qua quæris Dominum, sentiens de illo in bonitate, & afferens ei claritatem & honorem. Legerunt fratres, & gaudent infatigabiliter & ineffabiliter tam uberibus & tam excellentibus donis Dei, bonis tuis. Quotquot eas legerunt,

rapiunt; quia rapiuntur, cum legunt. Quam suavis odor Christi, & quam fragrat ex eis? Dici non potest, illæ cum te offerunt ut videaris, quantum nos excitent ut quæraris: nam & perspicabilem faciunt & desiderabilem. Quanto enim præsentiam tuam nobis quodammodo exhibent, tanto absentiam nos ferre non sinunt. Amant te omnes in eis, & amari abs te cupiunt. Laudtur & benedicitur Deus, cujus gratia tu talis es. Ibi excitatur Christus, ut ventos & maria tibi placare tendenti ad stabilitatem suam dignetur. Ibi conjux excitatur, non dux ad mollitiem viro suo, sed ad fortitudinem redux in ossa viri sui: quam in tuam unitatem redactam & redditam, in spiritualibus tibi tanto firmioribus quanto castioribus nexibus copulatam, officiis vestræ sanctitati debitis in te, uno ore salutamus. Ibi cedri Libani ad terram depositæ, & in arcæ fabricam compagine caritatis erectæ, mundi hujus fluctus imputribiliter secant. Ibi gloria, ut acquiratur, contemnitur; & mundus, ut obtineatur, relinquitur. Ibi parvuli, sive etiam grandiusculi filii Babylonis eliduntur ad petram, vitia scilicet confusionis superbiæque secularis. Hæc atque hujusmodi suavissima & sacratissima spectacula litteræ tuæ præbent legentibus, litteræ fidei non fictæ, litteræ spei bonæ, litteræ puræ caritatis. Quomodo nobis anhelant sitim tuam, & desiderium defectumque animæ tuæ in atria Domini? Quid amoris sanctissimi spirant? Quantam opulentiam sinceri cordis exæstuant? Quas agunt gratias Deo? Quas impetrant a Deo? Blandiores sunt, an ardentiores? luminosiores, an fœcundiores? Quid enim est, quod ita nos mulcent, ita accendunt, ita compluunt, & ita serenæ sunt? Quid est, quæso te, aut quid tibi pro eis rependam, nisi quia totus sum tuus in eo, cujus totus es tu? Si parum est, plus certe non habeo.

[37] Ergo litteris hisce Paulini, cum tanta adversus eum excitata essent studia, alteræ supervenerunt ab eodem litteræ, nec pietate prioribus, nec caritate absimiles: &

interim Augustinus a Valerio cooptatus adjutor, & creatus est Coëpiscopus. Tum omnes simul, Valerius & Augustinus Hipponenses, [Paulini ad Licentium cohortatio.] Alypius Tagastensis, Profuturus Calamiensis, & Severus Milevitanus Episcopi, litteris suis Paulinum officiosissime reviserunt. Commendarat eidem prioribus Augustinus litteris Romanianum, & ejus filium Licentium, Alypii patruum illum, hunc patruelem; ut utrumque, ac præsertim Licentium, ad perfectionis studia conaretur adducere. Venerant ambo Romam ex Africa, & Nolæ Paulinum salutarant. Is ergo cultor Christiani officii diligentissimus, postridie quam litteras ab Episcopis Afris accepit, scripsit ad utrumque lætitia gestiens, ac præcipue gratulans de Augustini Episcopatu: & Licentium non modo prosa ad Christianas virtutes & seculi fugam, sed & carmine adhortatur, quod delectari juvenem poësi cognorat. Adeo caritas in alliciendis ad pietatem mortalibus solers est: & ad cujusque se gustum accommodat, ut escam vitalem bona illecebra capti hauriant. Quæ omnia Cardinalis Baronius gesta ponit anno salutis CCCXCV, quo maxime anno etiam in Oriente Paulini nomen inclaruit.

[38] Decesserat ejus initio anni senior Theodosius Augustus; [Ejusdem Panegyricus de Theodosio.] quem cum Ethnici Scriptores indigne criminarentur, Paulinus Endelechii sancti admonitu, amicitia sibi conjunctissimi viri, defendendum ex meritis suis ornandumque suscepit; eo maxime consilio, ut in Theodosio non tam Imperatorem quam Christi servum; non dominandi superbia, sed humilitate famulandi potentem; nec regno, sed fide principem, ut ipsemet loquitur, prædicaret; vel, ut plane simpliciterque Gennadius, ut demonstraret, ipsum Christianum Imperatorem de Tyrannis fide magis & oratione quam armis victoriam reportasse. [epist. 9, Catal. Illustr. vir. c. 48.] Et sane Theodosii fidem magnifice sanctus Ambrosius in Oratione de ejus obitu prædicat.

Idemque olim in Procemio libri primi ad Gratianum scripserat. Petis, inquit, a me fidei libellum, sancte imperator, profecturus ad prælium. Nosti enim fide magis Imperatoris, quam virtute militum quæri solere victoriam. Eam laudationem Paulinus per Vigilantium, qui tum Monachus specie laudandus, postea hæreticus teterrimus fuit, ad S. Hieronymum misit in Palæstinam, adjecta epistola, in qua & Vigilantium commendabat, & præcepta vitæ sibi degendæ poscebat; S. Hieronymi felicitatem extollens, quod in Christi vestigiis sibi domicilium delegisset. Ad quam epistolam dum respondet S. Hieronymus, & præcepta Monasticæ vitæ quædam dedit; suadens ut prope urbes magis & in solitudine, quam in frequentia & in ipsa Jerosolyma habitaret; [Hieronymi de eo judicium.] non enim Jerosolymis fuisse, sed Ierosolymis bene vixisse laudandum esse: & de Theodosii defensione ita pronuntiat: [epist. 13] Librum tuum, quem pro Theodosio Principe prudenter ornateque compositum transmisisti, libenter legi: & præcipue mihi in eo subdivisio placuit: cumque in primis partibus vincas alios, in penultimis teipsum superas. Sed & ipsum genus eloquii pressum est & nitidum; &, cum Tulliana luceat puritate, crebrum est in sententiis: jacet enim, (ut ait quidam) oratio, in qua tantum verba laudantur. Præterea magna est rerum consequentia; & alterum pendet ex altero. Quidquid assumpseris, vel finis superiorum, vel initium sequentium est. Felix Theodosius, qui a tali Christi Oratore defenditur. Illustrasti purperas ejus, & utilitatem legum futuris seculis consecrasti. His acrem cohortationem ad colenda studia Scripturarum, quam nos supra posuimus, adjecit. Neque eo abstinuit: Nobilem te Ecclesia habeat, ut prius Senatus habuit.

[39] Ita cum celebraretur Paulini nomen, [Quantum Paulinus illustrarit consilia Euangelica.] difficile quidem est cogitatione assequi, quantum Religioni suo facto splendoris, quantum auctoritatis consiliis Euangelicis

compararit. Existimare tamen licet, cum servi homines, si fideles modestique sint, doctrinam Salvatoris nostri Dei, ut sanctus Paulus loquitur, ornent; quantum ejus loci Senator eo vitæ genere exornaret. [Ad Tit. 2] Ex ipsa Urbe summus Pontifex Anastasius, cum Siricio successisset, ex his quæ ad ornandum hominem pertinerent, nihil reliquum fecit. Narratur id epistola ad Delphinum secunda: Sciat veneratio tua, Papam urbis Anastasium amantissimum esse humilitatis nostræ: nam ubi primum potestatem caritatis suæ nobis offerendæ habere cœpit, non solum suscipere eam a nobis, sed ingerere nobis piissima affectione properavit. Nam brevi post ordinationem suam, epistolas de nomine nostro, plenas & religionis, & pietatis, & pacis, ad Episcopos Campaniæ misit; quibus & suum declararet affectum, & aliis benignitatis suæ præberet exemplum. Deinde nos ipsos Romæ, cum solemni consuetudine ad beatorum Apostolorum Natalem venissemus, tam blande quam honorifice excepit. Postea quoque interposito tempore etiam ad Natalem suum, quod Consacerdotibus suis tantum deferre solet, invitare dignatus est. Eadem benignitate Venerius, qui post Simplicianum, anno salutis CCCC Mediolanenses induit infulas, simul primum est consecratus, Paulinum sibi salutandum putavit. Nec vero laudatores modo clarissimos viros, sed etiam imitatores habuit, imprimisque ipsum Severum, cujus ad interiorem sapientiam transitum modesta interpretatione Paulinus anteponit suo. Tu frater dilectissime, inquit, ad Dominum miraculo majore conversus es, quia ætate florentior, laudibus abundantior, oneribus patrimonii levior, substantia facultatum non egentior, & in ipso adhuc mundi theatro, id est, fori celebritate diversans, & facundi nominis palmam tenens repentino impetu discussisti servile peccati jugum, & letalia carnis & sanguinis vincula rupisti. [epist. 1.]

[40] Valuisse multum, opinor, Paulini exemplum ad Pammachium quoque post obitum uxoris, [Quanta vis & celebritas in Paulini exemplo] ex nobili Patritio nobiliorem in Monachum commutandum. Itaque cum cælestis philosophia per hominum florem ac senatorium apicem ita jam vulgaretur, merito S. Hieronymus ad eumdem Pammachium gratulans scribit: Nostris temporibus Roma possidet, quod mundus nescivit. Tunc rari sapientes, potentes, nobiles, Christiani: nunc multi Monachi sapientes, potentes, nobiles. [Hieron. epist. 26.] Verum quod infra dicit, Quod Patritii generis primus inter primos Monachos esse cœpisti, nihil officit Paulini gloriæ, tamquam vel non e Patritio ipse genere, vel non prior Pammachio ad Monachismum ascenderit; sed id tantum significat, qui fuerat inter primos Patritios, jam inter primos Monachos numerari. Quam gloriam etiam inter homines esse majorem, quam profanus antea splendor esset, egregie ibidem docet: Antequam, inquit, Christo tota mente serviret, notus erat in Senatu, sed multi alii habebant infulas Proconsulares: totus orbis hujuscemodi honoribus plenus est: primus erat, sed inter primos: nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur. Miratur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat. Quare concludit: Plus ergo accipimus, quam dedimus. Parva dimisimus, & grandia possidemus: centuplicato fœnore Christi promissa redduntur. Quæ in Paulinum recte conveniunt, tanto etiam magis, quanto is plura ad Christum attulit mentis & oris ornamenta, temporeque etiam & animi ardore præcessit.

[42] Usque eo valebat exemplum ejus, ut sanctus Augustinus magnopere optaret, ut coram se spectandum Afris præberet. [Celebratur a sancto Augustino,] Non impudenter, inquit, ego rogo vos, & postulo, & flagito, ut in Africam majore talium hominum siti, quam siccitatis nobilitate laborantem venire dignemini. [epist. 34.] Scit Deus, quia non solum propter desiderium meum, neque

solum propter eos, qui vel per nos vestrum propositum, vel undecumque fama prædicante didicerunt; sed etiam propter ceteros, qui partim non audiunt, partim audita non credunt, tamen possunt comperta diligere, vos istis terris etiam corporaliter adesse cupimus. Hanc ergo Christi gloriam & oculis nostrorum hominum cupimus admoveri, in uno conjugio proposita utrique sexui calcandæ superbiæ, non desperandæ perfectionis exempla. Et ad Licentium suum scribens, Vade in Campaniam, inquit, disce Paulinum egregium & sanctum Dei servum, quam grandem fastum seculi hujus tanto generosiore, quanto humiliore cervice incunctanter excusserit, ut eam subderet Christi jugo, sicut subdidit: & nunc illo moderatore itineris sui quietus & modestus exultat. [& epist. 39] Vade, disce quibus opibus ingenii sacrificia laudis ei offerat, refundens illi quidquid boni accepit ex illo, ne amittat omnia, si non in eo reponat a quo hæc sunt. Idem Presbyterum suum nomine item Paulinum, cum ad hunc nostrum pervenisset, jubet Deo gratias agere, quod talem magistrum excipiendis rudimentis ejus ac nutriendis dedisset. Et Paulinum nostrum sic affatur: Non enim uberiore fructu legit vel audit me docentem, ac disserentem, ac vel quibuslibet exhortationibus accedentem, quam inspicit te viventem. [epist. 59.]

[43] Sanctus Hieronymus, dum Julianum ad perfectionem hortatur, claros viri natales, & amplam rem, munimenta seculi oppido firma, [a S. Hieronymo,] hac eadem machina quatit. Nec est, quod excuses nobilitatem, & divitiarum pondera; respice sanctum virum Pammachium, & ferventissimæ fidei Paulinum Presbyterum, qui non solum divitias, sed seipsos Domino obtulerunt: qui contra diaboli tergiversationem nequaquam pellem pro pelle, sed carnes, & ossa, & animas suas Domino consecrarunt: qui te & exemplo & eloquio, id est opere & lingua possunt ad majora perducere. [epist. 34.] Nobilis es? & illi: sed in

Christo nobiliores. Dives & honoratus? & illi: imo ex divitibus & honoratis pauperes & inglorii, & idcirco ditiores & magis inclyti, quia pro Christo pauperes & inhonorati. Apud eumdem Hieronymum Auctor epistolæ tertiæ volumine nono, æqualis illorum temporum Scriptor non indoctus, virum singularem (sic enim nominat) Paulinum, qui Senatum, honores, divitias relinquendo, instar Abrahæ sepulcrum sibi comparasset, in quo una cum sua matre familias mortuus seculo, ab operibus mundialibus quiescebat, imitandum proponit filiabus Geruntii, quas ad negligendam hereditatem, [a S. Eucherio,] & simile sibi parandum quietis sepulcrum hortatur. Paucis post temporibus sanctus Eucherius, dum honestamenta cælesti philosophiæ conquireret, ut ad eam ab inanibus curis Valerianum traduceret propinquum suum, in prima acie collocat Paulinum, quem peculiare ac beatum suæ Galliæ exemplum vocat. [Isaiæ 49, 2] Adeo quisquis seculo bellum per ea tempora moveret, tamquam sagittam electam, cui nullum impenetrabile pectus obsisteret, Paulinum e pharetra divina promebat.

[44] Sed præstat cognoscere quanta gravitate, quantaque magnificentia ille adeo mirificæ sanctitatis Antistes, [a S. Martino.] cujus pro oraculo nutus erant, Turonensis Martinus, non modo lacessere, qui se adirent, auctoritate atque admiratione Paulini consuesset; verum etiam beatum præsens existimaret seculum, cui tale spectaculum contigisset. Sermo autem illius, inquit Severus, non alius apud nos fuit, quam mundi hujus illecebras & seculi onera relinquenda, ut Dominum Jesum liberi expeditique sequeremur: præstantissimumque nobis præsentium temporum illustris viri Paulini, cujus supra mentionem fecimus, exemplum ingerebat, qui summis opibus abjectis Christum secutus, solus pæne his temporibus Euangelica præcepta complesset. [cap. 26.] Illum nobis sequendum, illum clamabat imitandum: beatumque esse præsens seculum tantæ fidei virtutisque

documento, [Fructus boni exempli,] cum secundum sententiam Domini dives & possidens multa, vendendo omnia & dando pauperibus, quod erat factu impossibile, possibile fecisset exemplo. Ita S. Paulinus virtutis Apostolicæ dignitatem, humanis vitiis obscuram, Senatoriæ claritate lucis aperuit: abjectam vulgo Euangelicam margaritam tamquam e luto extraxit, sordes abstersit, horrorem excussit, cæleste pretium ejus & fulgorem blandissimum publicavit.

[45] Notos atque spectantes feriebat novi operis magnitudo, oculis mentibusque subjecta: fama percellebat ignotos, ad quos latissime per alia atque alia sapientum ora pervulgabatur. Inde fiebat, ut uberrimam a Deo gratiam Consularis Monachus mereretur, non pro iis tantum quæ ipse faciebat; sed & pro iis, quæ facere imitatores ejus & asseclæ conabantur: neque Deum una solum mente linguaque una, sed mille ac longe pluribus collaudaret; idque non in angulo tantum Nolano, sed per cunctam Italiam, & Galliam, & Daciam, & Africam, & Palæstinam, & alias terrarum remotissimas oras. Quin etiam eminens virtus in admirationem sui, & Christi Dei prædicationem, ut auctoris atque magistri, barbaros quoque & Christianæ religionis hostes alliciebat. [Homil. 13 in Gen.] Quæ cum Sanctus Chrysostomus cujusvis illustris exempli bona sapienter enumeret, tanto cumulatiora Paulino redibant, quanto plus gerebat exemplum ejus & majestatis & ponderis: [cui etiam adhortationem addebat Paulinus.] quod ipsa simul Therasiæ sanctitas ad feminarum singulare incitamentum, & in tali conjugio tanta perfectionis consensio fructuosius pariter ac speciosius faciebat. Sed tamen ad hæc omnia, & ad operum vocalissimam tubam adjiciebat Paulinus oris quoque voces ac styli, cum sermonibus ardentissimis præsentes, tum acerrimis epistolis & lucubrationibus aliis ad perfectionem absentes instigans; cominus juxta atque eminus, ore manuque potens, æquans facta sermone,

sermonem factis, utrisque divitem contumaciam mundi, atque superbas divitias in obsequium paupertatis & humilitatis Christi captivans. Ceterum, quos amat Pater cælestis, numquam eis res ita secundas facit, quin probandæ virtutis durandæque ad patientiæ incudem relinquat materiam.

## ANNOTATA D. P.

Successit Siricio Anastasius an. 398, 2 Decembris.

## CAPUT VI.
## Paulini patientia, humilitas, gratitudo, studium paupertatis.

[46] Inter eos plausus Paulinus non Ethnicos modo obtrectatores habuit, non modo ipsum inter amicos primum carissimumque magistrum Ausonium, uti supra est demonstratum, nec solum Romæ invidorum malevolentia pulsatus est; sed etiam derelictus a suis. Nam, ut commercia seculi ferme re ac spe conferuntur & continentur, [Paulinus obtrectatores patitur, ac despicitur.] ubi quis ad Christi paupertatem transit, nimirum velut jam fruge cassum putamen, aut supervacaneum cadaver, amici plerumque & propinqui & clientes abjiciunt. Ita Paulinus evenisse testatur sibi, dum Severum ita compellat: Præterea peto, quia summum animi tui jus habere me confido, ut, si necesse fuerit deficientibus a me & libertis, & servis, & fratribus, tuam curam impetas, & ordinare digneris, qualiter ad nos vinum vetus, quod Narbone adhuc nos habere credimus, pervehatur. [Epist. 1] Ne timeas, frater sancte, damnum, si nos feceris etiam pecuniæ debitores. [Epist. 5] Omnes enim nostri a nobis declinaverunt: simul impii facti sunt, & inimici hominis domestici ejus. Et alibi: Ubi mihi nunc consanguinea germanitas? ubi amicitia vetus? ubi pristina

contubernia? Evanui coram illis omnibus. Sed talia humilitatis asseclæ pro lucro numerabantur.

At laudes reformidabat, aversabatur, ferre non poterat, [Reformidat laudes,] quibus & sua aggravari peccata dicebat. Unde querimoniæ illæ ad Severum: Quid igitur miseri faciemus, hinc etiam rationem & pœnam debituri, quod honores accipiamus immeritos: &, qui auditores tantum legis sumus, a factoribus prædicemur? [Epist. 1] Quo magis scilicet exprobretur nobis condemnandæ torpor ignaviæ. Et: Te multa dilectio usque ad mendacii peccatum trahit. Vide ne contra ejus (id est caritatis) regulam videaris operari malum proximis, quibus sarcinam peccatorum pondere indebitæ laudis accumulas. [Epist. 2] Quo loco notare commodum est, Sanctorum inter se quam conveniat sensus. Magnus enim Gregorius eamdem sententiam, & fortassis lectione Paulini admonitus, ita expressit ad Anastasium: Quod vero me os Domini, quod lucernam dicitis, quod multis prodesse perhibetis, hoc quoque ad iniquitatum mearum cumulum accedit; ut, cum vindicari in me iniquitas debuit, laudes pro vindicta recipiam. [lib. 1 Reg. Cap. 7]

[47] Ergo Paulinus, ne commendatione hominum, qua se rebatur indignum, apud Deum condemnaretur, ita laudatores aversabatur, [& laudatores suos castigat.] ut incastigatos nequaquam dimitteret. Exemplo est libertas, qua Severum, hominem sanctum, quod interdum abripi se caritatis æstu longius sineret, non semel reprehendit. Præter usitatum ea tempestate morem (deinde enim urbanius quam verius receptus est) in titulo litterarum Severus servum se adscripserat. Paulinus novam præfationem haudquaquam tacitam prætermisit. [Epist. 1] In Epistolæ titulo, inquit, imitari præstantem in omnibus mihi fraternitatem tuam timui: quia tutius credidi vere scribere. Cave ergo post hæc servus Christi in libertatem vocatus, hominis, & fratris, & conservi inferioris servum te

scribere: quia peccatum adulationis est magis, quam humilitatis justificatio. Alio tempore Severus idem postulavit, ut imaginem sui pictam ad se Paulinus mitteret. Is vero non leviter ad eam postulationem excanduit: atque non animum, sed verba imitans eorum, qui dixerunt olim Apostolo: Multæ litteræ te ad insaniam perduxerunt; Severe, mi Severe, inquit, multa te caritas pæne delirum facit: & circa me non ætate, sed sensu parvulum tuum tamquam avus circa serum nepotem, nimia pietate (quod tamen pace prudentiæ tuæ dixerim) stultus efficeris. [Actor. 26] Et subdit: Qualem cupis, ut mittamus imaginem tibi, terreni hominis, an cælestis? [Epist. 8] Scio, quia tu illam incorruptibilem speciem concupiscis, quam in te Rex cælestis adamavit. Et mox: Quomodo tibi audebo me pingere, cum cælestis imaginem inficiari prober corruptione terrena. Utrimque me concludit pudor: erubesco pingere quod sum, non audeo pingere quod non sum. Ita sagax modestiæ cultos inde laudes excludebat, hinc abjiciendi sese atque despiciendi causas venabatur.

[48] Faciebat ubique hoc Paulinus, ut ex laudibus suis non elatior, [Undique captat humilitatis materiam.] sed vilior sibi fieret. Itaque cum accepisset, una se cum S. Martino ad Baptisterium a Severo pictum, factumque doluisset, tandem excusat ea ratione, ut peccator (sese intelligebat) justo compositus magis sordeat, & peccatore collato magis justus (hoc est Martinus) eluceat. [Epist. 12] Denique, quia subscribendos etiam picturæ versus postularat Severus; Hac tantum gratia parui tibi, inquit, ut consilii tui ratio proderetur, qua salubriter novorum hominum informationi studens, diversas longe sibi imagines propusuisses, ut emergentes e sacro fonte, & vitandum & sequendum pariter conspicarentur. Præterea, quod sanctissimi viri docent, ad humilitatis nostræ custodiam aspicienda in aliis quæ eos attollere, in nobis vero quæ nos deprimere possint, id adeo solerter in loco

ac scite facit Paulinus ut appareat etiam humilitatem ingeniosam esse; præsertim dum Severum sibi præferens, miraculo dicit majore coversum, & inter cetera etiam illa numerat: Mihi ætas provectior, a primis annis honorata persona, corpus infirmius. [Epist. 1] Quæ omnia cum ex assuetudine & imbecillitate magis arduam virtutis viam redderent, eoque juste ad laudem amplificandam pertinerent; ille tamen ad minuemdam refert. Addit deinde etiam, Severum oneribus patrimonii fuisse leviorem: tamquam Paulino optandum magis fuerit iis relevari. Et quoniam haud omnino possessiones idem Severus abdicarat, extollit ejus constantiam in curis quidem retinendis, fructibus autem in Dei obsequium conferendis. Ita demum amatores veri modestiæ, oculos removent ab alienis vitiis, & conferunt in virtutes: in se autem non, si quid insit boni & laudabilis, sed quidquid vile ac vituperandum est intuentur.

[49] Ex eadem submissione suique existimatione infima, oriebantur encomia, quibus humilis corde, [Magni facit omnium erga se quæcumque officia.] hoc est cor Christi Paulinus, qui aliquo erga se officio fungerentur, deprædicat. Censebat enim cunctis se bonis indignum, potiusque ab omnibus proculcari debere. Inde benevolentiam suspicit, ac virtutem eorum, quod adeo se (ut persuasum habebat) abjectum & despectum non exhorrerent. Immensis laudibus Victorem effert, Monachum quidem pium, at unum e vulgo, qui sibi quædam ex caritate ministeria adhibere voluisset. Quare ingemit: Servivit ergo mihi, servivit, inquam: & væ misero mihi, quod passus sum. Servivit & peccatori, qui non serviebat peccato. Sed hinc mihi levamen aliquod tanti ponderis spero (discamus Religiosi, quo sint animo excipienda fratrum obsequia) quod sancti fratris famulatum non superbia vendicavi, sed contestandæ caritatis more, & fide capiendæ benedictionis admisi. [Epist. 3 ad Severum.] Addit, quia idem & pedes lavare

sibi voluit, semel tantum Apostolico exemplo cessisse, quod in Victore Christum veneratus optaret, ut ad infirmitatis remedium melior se conservus attingeret. Ceterum, non hæc solum vocis præconio remunerari obsequia satis habebat, sed mutuum manu sua rependebat famulatum, dolens quod bonus Victor servilium prœreptor operum, vix aquam ministrari a Paulino suis manibus sineret. Quod tamen se nominatim usurpasse testatur, ut S. Martinum imitaretur, qui adeunti ad se Severo (ut idem ipse auctor est) manus abluisset. Quippe inter cetera caritatis officia iis temporibus sancti viri de suis quempiam missitabant cum litteris invicem salutatum. [Epist. 24] Hos, ut adveniebant, incredibili caritate excipiebat, & dulcissimis stringebat amplexibus Paulinus: eosdem suæ mensulæ adhibebat, omni obsequio demerebatur. Cardamatem quemdam, hominem servum, ac prope scurram, & male sobrium, quia ultro citroque commeans in Galliam & Italiam, ea caritatis pignora ad Sanctos deferebat, ita commendavit & scilicet dedolavit, ut & libertate donatus, & in Clerum ascitus sit Exorcista; ac demum inde collaudat, quod prope quotidianus conviva sibi esse non fugerit.

[50] Ex eadem suæ vilitatis opinione fiebat, ut monita ac præcepta degendæ vitæ passim exquireret, ab Hieronymo, ab Augustino, a Delphino, ab Amando, ab aliis; [Monita expetit.] itemque omnium precationes pro se sine ulla intermissione flagitaret. Nec discrepabat a dictis factisque externus apparatus. Omnia simplicia, vilia, spirantia humilitatem erant. Supellectilem argenteam a principio, [Vili supellectile utitur,] in ligneam mutavit ac fictilem. Ideo scutellam buxeam ad Severum mittens, ait: Misimus testimonialem divitiarum nostrarum scutellam buxeam; ut apophoretum voti spiritualis accipies, habiturus exemplo, si necdum simili argento uteris. [epistol. 1] Et petit sibi mitti fictilia, quæ amare se dicit, quod secundum Adam cognata nobis sint, & Domini

thesaurum in talibus vasis commissum habeamus. [& mensa tum vili, tum perparca.] Mensa porro qualis esset, apparet ex eo, quod modo dicere de Cardamate institueramus, quem inde miratur, quod mensulæ suæ modum non fastidiebat: Cumque raris ac minutis calicibus aspergeretur, quibus labra summa vix tingeret, nihil de vacui ventris aut sicci gutturis injuria querebatur. [epist. 24.] Et alibi: Assiduus mensulæ nostræ particeps ita se ad mensuram nostri gutturis arctavit, ut nec oluscula nec pocula nostra vitaverit. [epist. 17] Itaque continentia & frugalitas viri Consularis jam erat hujusmodi, ut mirabiles esset, [Paupertas Paulini mirabilis.] qui de vulgo Monachorum pati eam possent. Verumtamen, quod mortales maxime mirabantur, & ascetæ etiam nobiles (ut quidem Severus de se profitebatur) imitari se negabant posse, summa erat ex divitiis paramplis inanitas. Itaque merito illum S. Augustinus cum ea Præsatione nominat; Paulinus noster, ex opulentissimo divite, voluntate pauperrimus, & copiosissime sanctus. Hortulum colebat initio: cujus causa per jocum Severus, Hebromagum relictam ab eo cum dixisset, respondit Paulinus: Hebromagum non hortuli causa, ut scribis, reliquimus, sed Paradisi. [l. I de Civ. Dei Cap. 10] Illum hortum prætulimus & patrimonio, & patriæ; quia illic magis domus vera, ubi æterna: ibi verius patria, ubi originalis est terra, & principalis habitatio. [Epist. 5.] Nam si credis propitio Christo, propter quem si nil habeamus, in ipso omnia possidemus; nunc in ista spinarum & laborum humo, ne in hortuli quidem glebula nos terræ limus tenet. Sed utinam ita nullus a peccato nobis pulvis hæreret. En quam perfecta nuditas Paulini, quam limo terræ soluta mens erat.

[51] Existimabat tamen nihil magnum ab se vacuitate illa perfectum. Rudimenta hæc ducebat militiæ suæ, ut sanctus Hieronymus vocat. [Sed rudimentum eam putat, non perfectionem.] In hunc modum disserabat: Facile

nobis bona vel onera apposita pallium remittentibus exciderunt: &, quæ nobiscum non intuleramus in hunc mundum, ned poteramus auferre nobiscum, quasi mutuata reddidimus: nec ut cutem a carne distraximus, sed ut vestem posuimus. Nunc opus est, ut quæ vere nostra sunt, dependamus Deo, hoc est, cor, & animam, & opera nostra exhibentes, in hostiam vivam. Temporalium, quæ in seculo habentur, bonorum relictio sive distractio, non decursus stadii, sed ingressus; nec ut meta, sed janua est. Non enim athleta tum vincit, cum exuitur: qui ideo nudatur, ut incipiat dimicare, cum legitime certaverit coronandus. [Epist. 2] Ex natator amnem interpositum superaturus exuitur: nec tamen hoc tanto apparatu quod se dispoliaverit, transnatabit, nisi totius corporis nisu, & omnium scita mobilitate membrorum, & propulsu pedum, & remigio brachiorum, & lateris illapsu, torrentis impetum scindat, & laborem natationis exhauriat. His cogitationibus continenter sese ad certamen extimulabat. Alias vero, cum repositæ apud Deum mercedis amplitudinem intuebatur, exclamabat: O miseri homines! largiri nos aliquid credimus. [Epist. 12 ad Severum.] Negotiamur; & liberales habemur, qui avarissimi esse convincimur: & quidem tanto avariores cupidissimis terræ fœneratoribus, quanto amplius est cælestia de terrenis, & beata de miseris egenisque rebus emere; quam terrena terrenis & labentibus lapsura mercari, [Nec se largiri Deo, sed negotiari.] & Dominum quam hominem fœnerari. Nec minore admiratione illa interdum addebat:

*— Et res magna putatur*
*Mercari propriam de re pereunte salutem?*
*Perpetuis mutare caduca; & vendere terram,*
*Cælum emere? [Natal. 9] Ecce Deus, quanto me carius emit*
*Morte crucis? passus, dejectus imagine servi,*
*Ut viles emeret pretioso Sanguine servos.*

[52] Ceterum, ex obedientia, quam ipse consilio Euangelico exhibuerat, & benignitatis divinæ consideratione, illa fideli servo extitit precandi fiducia, quam S. Augustinus commemorat. Namque sub annum salutis CCCCX Nolam Gothi cum cepissent, vastarentque, & Paulinus ab eis teneretur, sic in corde suo (inquit Augustinus) ut ab eo postea cognovimus, precabatur: Domine, non excrucier propter aurum & argentum: ubi enim sunt omnia mea, tu scis. [l. I de Civit. C. 10] Ibi enim habebat omnia sua, ubi thesaurizare ille monuerat, qui hæc mala mundo ventura prædixerat. Et auditas credere par est pias preces. Nam quamquam fortasse vexatus vir Dei; tamen in urbe relictus est. In tanta vero mendicitate numquam buccellam omittebat suam cum mendicis dividere, [Pro pane subtracto pauperi perit navis annonam ferens.] non raro se minus egentibus. Nec discrepabat fidelis conserva, sub jugo meliore jam conjux. Fuit tamen, cum roganti mendico jussa dare stipem, renuntiavit Paulino, unicum domi panem esse: & eum ipsum dare cum ille jussisset, præter morem suum nimium provida, non dedit; argumentans (ut verosimile est) in pari necessitate digniorem esse qui vesceretur illo Paulinum, ac proinde ei servandum. Sed brevi didicit, fides Paulini quanto esset locupletior, quam timida suæ curæ solicitudo. Adfuerunt subinde viri, qui se missos ab suis ajebant dominis, [Turonens. De glor. Confess. Cap. 107] ut ad Paulinum vini triticique annonam deferrent: ideoque moratos, quod tempestas unam navium onustam tritico demersisset. Quæ audiens Paulinus, ad Therasiam conversus, Intellige, inquit, te illi pauperi unum panem fuisse furatam, & ideo hanc navem esse demersam.

[53] Sed qui, quibus nihil debebat, adeo erat benignus; proclive intellectu est, quam esset gratus & effusus in eos, quibus debere aliquid videretur. Quam prolixe Ausonio; [Paulinus quam esset gratus.] quam honorifice defert

**omnia? Quam pie ab se crimen impietatis, temere ab illo objectum repellit?**

***Pietas, inquit, abesse Christiano qui potest?***
***Namque argumentum mutuum est***
***Pietatis, esse Christianum: & impii,***
***Non esse Christo subditum. [Epist. 2]***
***Hanc cum tenere discimus, possum tibi***
***Non exhibere, id est Patri?***
***Cui cuncta sancta jura, cara nomina***
***Debere me voluit Deus;***
***Tibi disciplinam, dignitatem, litteras,***
***Linguæ, togæ, famæ decus,***
***Provectus, altus, institutus debeo,***
***Patrone, præceptor, pater.***

**Delphinum vero, a quo & Christianis fuerat undis aspersus, & ad pietatem incensus, ita datis cum ad ipsum tum ad Amandum litteris affatur; commendat, rogat permistis quibusdam cum sancta ingenuitate quasi blanditiis, ut observantius nihil fieri, nihil suavius aut amabilius queat. [Epist. 18,] Commendarat eidem Delphino atque Amando presbyterum senem & inopem, cui per injuriam domus erepta erat. Valuit commendatio; sed operæ pretium est cognoscere, quanta vi beneficium prædicet Paulinus eorum, a quibus est impetratum, ut domum non suam, quamque jure debebant, redderent.**

**[54] Pro ipsis fratribus nostris, quos ante rogari poposceramus, nunc unanimitatem vestram petimus (Amandum & Delphinum alloquitur) ut eos ultra solitum affectum diligatis: &, si forte ipsi Burdigalam, ut solent, venerint, præsentibus etiam de nostrorum sensuum ac viscerum affectione reddatis. Aut si tarda fuerit eorum copia, cum prima fuerit occasio, dignemini eis gratulationem debitam, [Hom. 2 in epist. ad Ephes.] & meritam benedictionem operis sui mittere; ut sciant &**

intelligant, quam acceptum Deo sacrificium dederint, &c. Nam etsi debitum fecerint agnoscendo justitiam, ut alienum reddi juberent; tamen gratia largiter habenda digni sunt, pro ipso bono voluntatis affectu, quo potuerunt transgredi, & non sunt transgressi. Hic videlicet Dei mos est, qui, ut ait Chrysostomus, nostram salutem, hoc est, ut salvi esse velimus, [Quam clemens.] emit a nobis. Ita Deum Sancti imitantur, in beneficio numerantes si quis ipsorum monitu culpis abstineat, cum revera beneficium incomparabile is qui monetur a monitore accipiat. Sed Paulinus ut benignus in calamitosos, ita clemens in reos, cum quem affectum injuria defendendum suscipiebat, [Epist. 36] ita succursum innocenti volebat, ut nocenti concederetur. Itaque epistolæ ad Macarium ea est clausula: Hoc moderamine intervenire debemus, &c. ut pari labore defendas & excuses optimo Senatori, id est, Christiano viro reum suum; ita ut prædoni ipsi sufficiat impunitatis lucrum, nobis ab ipso Dei munera recipere contentis.

## CAPUT VII.
## Ceteræ Paulini virtutes, imprimis veneratio erga Sanctos, vivos & mortuos. Incendium ab eo restinctum.

[55] Sanctorum amicitias non cetera modo observantia, sed missitandis quoque munusculis diligenter colebat, [Quam officiosus Paulinus.] præcipue sacri panis, quæ Eulogiæ dicebantur: cum tamen ab se panem mitti diceret, quem accipientis dignatio Eulogiam faceret. Agnoscere erat Paulini probum ingenium & candissimam animam etiam in eo, quod, qui bonitatis speciem præseferrent, facile bonos existimabat. Itaque & Vigilantium, & Ruffinum, & Pelagium, & Julianum, [Quam bene de omnibus existimans.] antequam in apertum fallaciæ eorum & hæreses proferrentur, in amicis simpliciter numeravit & commendavit, ut S. Hieronymus

cum Vigilantio loquens, quod primo non eum detexerit, excuset iis verbis: Quid tibi faciam? Credidi sancti Presbyteri Paulini epistolis, & illius super nomine ne tuo credidi non errare judicium. [Epist. 75] Igitur alienos mores de suis æstimans, qualem se quisque ferret, talem habebat.

[56] Nequaquam tamen si quæ minus probanda in familiarium quopiam videret, per incuriam aut assentationem dissimulabat: sed verum se amicum præstans (amicus enim bonus, [Quam liber in admonendis amicis.] ut idem ait, medicina cordis est) operam dabat, ut libera eos modestaque admonitione sanaret. Docent hoc omnes ad Ausonium versus, docent multæ ad Severum epistolæ, & ille præter alios a nobis ante productos, locus e quinta: quoniam nullum faciebat finem Paulinus Severum ad se vocandi, idemque paupertatis studio adeo sese nudabat, ut nihil ad varietates ac necessitates temporum reservaret. Severus, joco haud dubie, scripserat ad id redigendum inopiæ, ut tandem ad se illum invitare desineret. [Epist. 5] At Paulinus, ne jocis quidem locum esse ratus, ubi de sanctissimis Christi consiliis ageretur; Quomodo convenit, inquit, ut idem tu paupertatem, quam te admirari profiteris, horrere fatearis? Si credas hanc mihi donatam esse virtutem, quam te velle nec posse assequi confiteris, ut habens victum & vestimentum hoc contentus sim, nihil ultra diem cogitem; cur vel me inopiæ necessitate superandum putas, ut te, quem non desiderare non possum, invitare desistam? aut te tam infirmum diffidentemque Christo prodis, ut timeas ad hujusmodi, qualem prædicas, amicum venire, si in veritate sequeris illum, qui dixit: Tolle crucem tuam, & veni, sequere me? [Luc. 9. 23] Quomodo aliter putas Christum sequendum, nisi lege quam docuit, & forma quam prætulit? qui cum in sua venisset, reclinandi tamen capitis locum inter sua non habuit. [Psal. 15. 5] Et post venustissimam & gravissimam

reprehensionem subdit tandem: Opto igitur ut tuæ potius comitatis hic jocus, quam infirmitatis fides fuerit. Ad extremum dignam fide sua auream clausulam apponit: Tu, si hoc bonum (id est, pro Christo missa omnia fecisse) ita credis ut prædicas; & in eo me esse credis, ut te credere scribis; & segnius me desideras; jam non in me peccatorem semper, & semper indignum conspectu tuo, sed in Dominum ipsum committis; si putas tum demum defuturam nobis vitæ mortalis alimoniam, cum nobis cœperit Deus esse possessio.

[57] Ex his quæ hactenus memorata sunt, incipit elucere species ac forma Paulini Monachi, in omnes partes absoluta, [Summa virtutum Paulini tam erga se & proximos,] & quodammodo ex omni latere conquadrata. Ante omnia inerat ei ardentissima fides, ut non surdis auribus & torpido corde Christi voces audiret; sed pro norma acciperet (uti sunt) & certa lege vivendi. Ex vivida acrique fide ceteræ virtutes, velut ex radice, vitalem succum vigoremque trahebant; atque nominatim illa Monachi prima virtus, opinionem seculi & ramusculorum generosa despectio; fidensque, libera, demum inconfusibilis cunctis locis professio Euangelicæ sanctitatis. Inerat summa nuditas rerum omnium humanarum, summa abjectio & contemptio sui. Adhæc benignitas in egentes & calamitosos nullis circumscripta terminis: in bene merentes grati animi memoria constans, aperta, munifica: adversus amicos observantia liberalis: prona in meliorem partem existimatio: simplex, ubi res posceret, admonitio; quæ res qualis erga se, qualis erga proximos esset, ostendunt. Superest ut erga sancta atque divina quemadmodum se gereret, adumbremus.

[28] Quibus etiamnum inter vivos præcipua cum Divinitate conjunctio esse videretur, eos submissione incredibili, & omni officii genere venerabatur ...... Nicetam vero qua pietatis suavitate, qua orationis magnificentia celebrat?

[quam erga sanctos vivos.] Immortalitati memoriæ illum transcripsit. At Victricii, postea Rothomagensis Episcopi, quem Martyrem vivum appellat, haud minus eloquenter quam sancte descriptum certamen, una Paulini epistola ab oblivionis interitu vindicavit. [Epist. 28] Quam narrationem ubi ita conclusit, Disputemus etiamnum an perfectus sis, qui de perfectione cœpisti? &, si legitime coronandus sis agone decurso, cum currere cœperis a corona? dolens quod ejus frui conspectu non liceat, æque dulciter ac religiose illa suspirat: Quis daret nobis pennas sicut columbæ, & volaremus ad te, & requiesceremus in conspectu sanctitatis tuæ, coram in ore tuo Christum Deum admirantes atque venerantes. Tergeremus capillis pedes illius in tuis pedibus, & lacrymis rigaremus; & in illis cicatricibus tuis, quasi Dominicæ passionis impressa vestigia lamberemus. Id autem, quod exhibere coram Victricio cupiebat, tempus incidit ut seni cuidam bono, quem Victorem nominat, cumulate præstaret: cujus mirabilem ex naufragio liberationem epistola ad Macarium describens, cum ei Dominum ipsum apparuisse in navi, & incredibili benignitate sinum ad requiescendum præbuisse, & aurum ad excitandum vellicasse dixisset, Fateor tibi affectionem meam, inquit, dum nimium tam insignia in nostri temporis homine Dei gesta admiror & diligo, pœne in ipsum senem fuisse crudelem. [Epist. 36] Nam tam assidue aurem ipsius retractavi, ut pœne detriverim. Voluissem quoque vel unius partem auris abscindere, nisi in illo vulneris, quæ mihi pignoris res fuisset.

[59] Hac pietate Paulinus in homines Deo caros etiamnum mortalitate circumdatos ferebatur: Christum in eorum pectoribus, velut in thesauris pretiosis, [Celebrant laudes hominum virtute præstantium.] sed adhuc fictilibus agnoscebat: desiderabat absentes, præsentibus fruebatur: captabat occasiones præclara eorum facta virtutesque vulgandi. Ita præter jam dictos Victricium

atque senem Victorem, majoris Melaniæ, quam Origenis depravatam erroribus ignorabat (resipuisse ad extremum bona conjectura est) studiose persequitur laudes. Ita ex Alypio rogavit, ut ad se scriberet genus ac vitam suam. [Paulin. Epistol. 10 ad Severum.] Quod cum Augustinus facturum se cumulatius pro eo respondisset, argumentatur acute Baronius, non modo id præstitum ab Augustino, & a Paulino celebratas Alypii res, sed multo magis ab eodem expetitam vitæ historiam ipsius Augustini; ex eoque factum, ut is formam excogitaret, qua modeste eam & utiliter explicaret in Confessionum libris. [Epist. 45, Augustin. Epist. 32, Baron, An. 395] Quodsi ita sit, haud sane mediocriter hoc uno nomine posteritas debet Paulino.

[60] Ille vero Sanctis jam cælo receptis atque Beatis quod genus obsequii piique cultus non adhibebat? [Mortuos honorat scriptis,] Felicem suum ut coluerit, ut ornarit, ut celebrarit, memoratum est satis. Haud ambigam multorum ab eo perscriptas Historias. Certe de Arelatensis Genesii martyrio quæ extat brevis narratio, nomine Paulino Nolani inscribitur, & stylus omnino consentit. Age, adversus Apostolorum principes Petrum & Paulum quanta pietas erat, cum quotannis ad sacra eorum corpora coram veneranda ipsorum natali die Romam adiret, [peregrinationibus,] nec viæ retardatus labore, nec graviore jam ferme per id tempus Romano ob æstum cælo deterritus? Quod officium ita constanter tenebat, ut solemnem morem, & annuum sibi illud votum atque iter vocet. Interdum tamen prævenisse Natalem Apostolorum, ex epistola illa patet, quam ad sanctum Augustinum reversus jam ex peregrinatione Romana Idibus Maji dedit. [Epist. 44] Romæ porro quid gereret, quemadmodum acciperetur, epistola ad Severum tertia decima conjiciendum proponit. Expediebat sese celerrime. Tempus ante meridiem in votis, quorum causa venerat, per Apostolorum & Martyrum sacras memorias

consumebat: deinde ut ad hospitium rediisset, innumeris frequentationibus, quas partim amicitia, partim religio contrahebat, sic erat occupatus, vix ut vespera solveret cœtus. [Epist. 13]

Idem in conquirendis, colendis, decorandis cum sumptu tum aurea sua lingua Beatorum sacris Reliquiis, multus erat, [colligendis ornandisque Reliquiis,] quarum ab S. Ambrosio quasdam accepit. Nec solum ad S. Felicis, quem semper Patronum & dominum, & Dominædium suum, tamquam dominum ædium gaudens appellat, magnificas basilicas, sed & Fundis ædem sacram extruxit, haud minus ea re benignus in homines, quam pius in Deum. [Natal. 9] [extruendis Basilicis,] Per occasionem paternæ in eo tractu possessionis, familiariter usus oppido erat. Ergo vel ad pignus, inquit, quasi civicæ caritatis, vel ad memoriam præteriti patrimonii, basilicam dare in ipso oppido, quoniam & indigebat, ruinosam & parvam habens, voti fuit. [Epist. 12]

[61] Ceterum sacro-sanctas Crucis Domini Reliquias, & religione, ut debuit, summa est veneratus, [Cultus ligni Crucis Domini.] & unus omnium maxime earum gloriam posteritati suis litteris patefecit. Miserat per Melaniam illi Joannes Episcopus Jerosolymitanus fragmen e salutari pignore. Paulinus opportunitate usus, & vulgavit historiam repertæ Crucis (quæ nunc legitur in epistola undecima ad Severum) & singulare illud ejusdem nihil immunitæ, quantumvis ex ea demeretur, miraculum prodidit: ut ex quo tempore inventa erat, innumeris pœne quotidie hominum votis lignum suum commodans, detrimenta non sentiret, & quasi intacta permaneret; quotidie dividua sumentibus, & tota venerantibus. Unde intelligere est quo pacto vitalis trunci tanta per omnem Christianum orbem propagari copia spargique potuerit. Misit & nomine Therasiæ (quam conservam in Domino appellare consuevit) ad Severum & Bassulam socrum ejus magnum

in modico munus, & in segmento pœne atomo astulæ brevis, munimentum præsentis, & pignus æternæ salutis. [Epist. 1 & 2] Ita describit partem ex donata sibi particula sanctæ Crucis. Misit autem aureolo inclusam tubello, addita interpretatione, expressam tali paratu formam ipsorum. Quippe ipsos aurum ignitum esse, qui intra se haberent regnum Dei, hoc est, fidem Crucis. Ex ejus vero portiunculæ, quam sibi reservaverat, possessione cultuque multiplicem sane fructum percepit cum alias, tum maxime, cum incendium ingens extemplo, ut contra est objecta, restinxit. Describitur res Natali decimo, & miraculum duplex notatur.

[62] Pro foribus extructæ ornatæque ab se sancti Felicis basilicæ, stabant tuguria duo ex rudi materia, quæ loci deformabant faciem, & adeunti populo velut offendiculum occurrebant. Obstinarant animos nequaquam cedere loco, qui tuguria incolebant. Modestissimo viro grave erat lite jus persequi, & vel vincere per contentionem. Hæc ita cum essent, ædicularum in altera sub primam quietem illapsa in fœnum scintilla, [per ejus particulam incendio objectam] repente magnum incendium suscitat; clamores gemitumque viciniæ. Excitatus Paulinus, videt omnia ita servere igni, ut ipsam quoque ardere basilicam opinaretur. Trepidi suarum quique rerum, aquam certatim, & quæcumque apta opprimendæ pesti suggerere: sed nequidquam sudabatur: irritabatur malum remediis: victrix flamma, quidquid ingestum esset, in alimenta vertebat. Paulinus non ad mortalis aquæ, sed ad misericordiæ divinæ fontes accurrit. [ipsum restinguit Paulinus] Festinant precatum ad S. Felicis corpus, & ad alia monumenta Sanctorum. Inde domum rapidus fiduciaque plenus evolat, Reliquias sanctæ Crucis assumit, manuque tenens pro pectore quasi scutum, quo tegeret se, hostem umbone elideret, adversus furentes faces consistit. Ecce autem continuo vis Crucis ignem
Terruit, inque loco, de quo surrexerat, ipso,

*Ut circumseptam præscripto limite flammam*
*Sidere, & extingui fremitu moriente coëgit;*
*Et cinere exortam, cineri remeare procellam. [Natal. 10]*
*Quanta Crucis virtus, ut se natura relinquat?*
*Omnia ligna vorans ligno Crucis uritur ignis.*
*Multa manus crebris tunc illa incendia vasis*
*Aspergens, largis cupiebat vincere lymphis:*
*Sed licet exhaustis pensarent fontibus imbres,*
*Vi majore tamen, lassis spargentibus, omnem*
*Vicerat ignis aquam: Nos ligno extinximus ignem.*
*Quamque aqua non poterat, vicit brevis assula flammam.*

**[63] Mirabiliter extincto igni cum plurima putarentur cremata tecta, postridie ubi diluxit, unum dumtaxat e duobus tuguriis absumptum viderunt; [& contiguas domos servat.] quod manu & labore fuerat demoliendum, nisi occupasset flamma; & compendium fecisset. Tum vero animadversa re Dominus, & cognita cælesti pœna, reliquum tugurium ipsemet evertit, & mora importuna S. Felicis basilicam liberavit.**

*Hunc nobis, inquit Paulinus, sine lite videns cessisse triumphum,*
*Se tantum miser accusat, quem gratia nulla*
*Manserit obsequii, & maneat confusio pœnæ.*

**Igitur non minore prodigio factum est, ut obstinati hominis pectus malo perdomaretur, [Caritas ejus in Deum.] quam ut vitalis objectu ligni vorax flamma momento consideret. Utroque Paulini fides, modestia, pietas, tamquam suffragio divino probata est. De cujus erga Deum caritate, & præcipuo quodam erga Christum Dominum studio, supervacaneum est nominatim dicere; cum quæ extant ejus scripta id loquantur unum, quæ sanctus Augustinus vere dicit fragrare odore sincerissimo Christi.**

## CAPUT VIII.

## Qualis Episcopus fuerit Paulinus.

# Pars III.

**[64] Quo tempore, quaque ratione creatus Episcopus sit, plane est incompertum. Haud pro dubio posuerim, uti Barcinone per subitam vim & multitudine strangulante Presbyter consecratus est, [De cura animarum quid sentiret,] ita Nolæ simul primum decessit Antistes, communi studio & ardore civium in Episcopalem sedem adactum fuisse. Quæ extant ejus Opera, vestigium talis muneris vix ullum offerunt, sive quod pleraque ante Episcopatum scripta sint, sive quod mallet ubique se peccatorem, se tenuem ingenio, corde crassum, ore jejunum profiteri, aliterque deprimere, quam suarum quidquam laudum attingere. Verumtamen gravissimi molem oneris quam vera amplaque existimatione ponderaret, & bene suarum omni connisu virium conaretur, documento sunt, quæ Sacerdotio minore, quamquam nulli addictus pascendo gregi, suscepto cogitabat, & cum Amando communicata legimus. [Epist. 23] Quod ministerium, inquit, ut bene ministrem, & gradum bonum mihi acquiram, & sciam qualiter oporteat me in domo Dei conversari, & tractare mysterium pietatis, tu Domine venerabilis & frater & Domine in Christo nobis ora Dominum, in omni bono divitem, ut abundemus fide, & sermone, & scientia, & omni solicitudine. Quæ postrema verba totam continent perfecti Præsulis formam. Nam si ad sanctitatem vitæ, quæ in fide significatur, per quam velut idoneus sequester, acceptus Deo, venerandus populo sit, eloquentia accesserit ad exhortandum, & scientia ad recte docendum, & impensa ac solicita cura ad ceterum ministerium; nihil profecto reliquum fiet, quod ad explendas sacri pastoris partes desideretur.**

[65] Hæc autem si Paulinus Pastorali liber Sacramento versabat, [etiam ante Episcopatum.] quanto impensius jam obligata fide, vasque pro hereditate Dei & Sanguine Christi factus, illa meditabatur, quæ paulo infra in epistola eadem adjungit? Igitur quia facti sumus de hostibus cives, de longinquis proximi, de ovibus pastores, & positi sumus in fundamento Apostolorum & Prophetarum; erudite & confirmate manus ad ædificandi scientiam, ut ad lapidem, qui factus est in caput anguli, discam parietem utrumque connectere; & in templum sanctum atque in habitaculum Dei, corpora & corda fide mundata construere; per arma Apostoli potentia Deo omnem elationem extollentem se adversus scientiam Dei captivam ducere; omnem intellectum ad obediendum Christo perducere; Euangelicam securim arborum radicibus admovere; & gladio spiritus, id est, verbo Dei, interficere peccatores terræ, & scuto Catholicæ Fidei omnia jacula candentia nequissimi extinguere; & certamine decertato cursuque decurso, fide servata, ministerio impleto, expectare illud quod Dominus in illa die justus judex reddet omnibus, qui diligunt adventum ejus. Hæc habemus tamquam lineamenta Episcopi Paulini, ab ipsomet nobis adumbrata. Sed & accuratæ adeo ad absentes & ad alienos exhortationes, [Quæ præcipue doceret tractarentque.] quam ad præsentes atque ad suos edocendos cohortandosque sedulus & acer esset, haud obscure declarant; ac nominatim ostendunt, quam ille creber misericordiam in egentes, libertatem confitendi Christi, & humanorum despicientiam judiciorum, cælitum cultum, sacro-sanctæ Eucharistiæ venerationem: suavitas enim & amplitudo, qua de adorando hoc mysterio loquitur, præcipuum erga illud animi studium palam facit. Nec sane mirum, qui vias scrutabatur omnes sanctitatis, in vena potissimum & capite inhæsisse; denique magnificentissimas Christi laudes, immensosque thesauros caritatis ejus & gloriæ, quanta gravitate ac majestate tractaret.

[67] Constat assiduum in decantandis Deo laudibus noctes ac dies cum Monachis, quos a principio sibi adjunxit, & Clero suo fuisse: adeo ut ne moribundus quidem consuetudinem intermiserit, [Assiduus in canendis Deo laudibus.] sed matutinam psalmodiam, anhelo licet, tamen læto spiritu, jussis in tempore excitari omnibus, ad seque acciri, peregerit. Et quamvis nihil eo fieri mansuetius, nihil beneficentius posset; tamen accepimus disciplinæ tenacem ita fuisse, ut in quos oporteret, tela etiam sacræ censuræ fortiter expediret. Quo in ordine sub decessum e vita suum, quicumque fuerunt, reconciliari pius pater voluit; [Disciplinæ amans, benignus tamen.] sperans, opinor, pro sua humilitate eo pacatiorem Dominum sibi futurum, quo benigniorem se præbuisset ipse conservis. Demum constat, adeo mirabilem viri sanctitatem fuisse, ut venerationi barbaris quoque populis, & alienis a Christo Iudæis atque Ethnicis esset.

Sed jam qualem Uranius, tametsi plus nimio brevi summa describat, [Uranius qualem Episcopum describat Paulinum.] Auctoris stylo prodamus. Non enim nihil interest oculati testis etiam verba noste. Cum autem ad summum Sacerdotii gradum provectus est, inquit, noluit se talem exhibere Episcopum, qui ab aliquo timeretur; sed talem se reddidit sacerdotem, qui ab omnibus amaretur b.... Nec merito ab omnibus amabatur, qui aderat omnibus. [Apud Sur. Tom. 3 22 Iunii] Quem enim jacentem non sua dextera erexit? quem interpellantem se non pia voce consolatus est? Erat enim pius, misericors, humilis, benignus, nullum spernens, nullum despiciens. Omnibus tribuebat, omnibus indulgebat. Animabat trepidos, mitigabat violentos: hos verbis, illos ædificabat exemplo: alios epistolis, alios sumptibus adjuvabat: nullas opes, nullas divitias, nisi quæ Sanctis suis Christus promiserat, mirabatur.... Quid plura? Vix quæcumque de

illo dicuntur, admitteret credulitas fidei, nisi propellerent sua facta mendacium.

[68] Hactenus Uranius ea quæ viderat persecutus. Quæ maxime suspicor Romanam postmodum Ecclesiam in Gregorii Magni sacris Vigiliis, [Paulini vita olim lecta in Gregorii Magni solennibus.] ob similitudinem sapientiæ & sanctitatis, recitare solitam. Docet enim Paulus Diaconus in Proœmio ab se scriptæ Vitæ sancti Doctoris, Romanos diu caruisse Lectionibus, quæ sancti Gregorii res continerent, & de Paulino civitatis Nolanæ Præsule substitui eas consuevisse. Nec est gloria modica Paulini, vitam ejus tamquam pro forma habitam vitæ Magni Gregorii. Haud dubie inclyta fama viri, quæ tam longe lateque ex Monachi secreto ante pervagabatur, aliquanto facta est Pontificalis adjectione claritatis illustrior; eo magis, quod per id tempus florebat inter primas urbium Nola, & cathedram quoque satis opulentam habebat. Ita sapiens Dominus bonum servum, qui fuerat fidelis in modico, supra multa constituit. Nam quidquid pecuniæ, quidquid honorum est profanorum, comparatione cælestium exile ac vile est, cum pretium illis humana fere æstimatio faciat, his Christi Sanguis. Exaltatus est igitur, qui sese demiserat: & fideli erogatori facultas erogandi subministrata nova est, si non amplior, certe sanctior, [Facultatibus sacris quomodo usus Paulinus.] eademque perpetua; addito etiam ex munere Pastoris incitamento, ut quod voluntate faciebat, jam quadam necessitate præstaret. Et ille sacras facultates ita non respuit nec contempsit, ut inde ostendat sanctus Prosper sine perfectionis impedimento ab Episcopis possideri. Sic enim disputat. [l. 2 De vit. contempl. Cap. 9] Sanctus Paulinus (ut ipsi melius nostis) ingentia prædia, quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erogavit: sed cum postea factus esset Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensavit. Quo facto satis ostendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & sine

impedimento perfectionis posse quæ sunt communia Ecclesiæ possideri. Mox cum idem factum a sancto Hilario quoque docuisset, subdit: Quod utique homines tam secularium quam divinarum litterarum sine ambiguitate doctissimi, si scirent res Ecclesiæ debere contemni, numquam eas debuerant, qui sua reliquerant, retinere.

[69] Retinuit igitur & custodivit bona Ecclesiæ Paulinus, sed ad erogandum, non ad fruendum; sine ministri, non possessoris arbitrio ...... c & morientis thesauri fuerint æs alienum in pauperum vestimenta contractum, [Quanta existimatio Paulini apud Imperatorem, & alios primos.] nulla reliqua re unde dissolveretur. Quibus virtutibus quantum auctoritatis veterano Episcopo accessisset, docet epistola Imperatoris Honorii, per quam illum in Urbem ad Concilium vocat. Quod cum in gravi perturbatione Ecclesiæ, schismatisque magni discrimine cogeretur, dilatum propterea dicit, quod absente illo propter invaletudinem, existimatum sit nihil posse definiri. Est autem epistola talis:

Sancto ac venerabili patri Paulino Episcopo.

Tantum fuit apud nos certa sententia, nihil ab his Sacerdotibus, qui ad Synodum convenerant, posse definiri, cum Beatitudo tua de corporis inæqualitate causata, itineris non potuit injuriam sustinere. [Baron. Anno 419] Et propter absentiam tancti viri, non quidem obtentura, interim tamen vitia gratulantur, cum prava & vetus ambitio & cum benedicto viro sanctæque vitæ diu velit habere certamen, ut contra hæc Apostolicæ institutionis bona, de præsumptis per vim parietibus existimet confidendum. O vere digna causa, quam non nisi coronæ tuæ beata vita designat! Dilatum itaque judicium nuntiamus, ut divina præcepta ex venerationis tuæ ore promantur, qui ea secutus implesti: nec potest alius eorum præceptorum lator existere, quam qui dignus

Apostolicis disciplinis est approbatus. Specialiter itaque Domine sancte, merito venerabilis Pater, justus Dei famulus, divinum opus, contempto labore, tributum hoc nobis visitationis tuæ (si ita dicendum est) munus indulge, ut postpositis omnibus, quantum temperantia his & tranquillitas suffragantur, Synodo profuturus, sine intermissione etiam desideriis nostris, & benedictioni quam cupimus, te præstare digneris.

[70] Quoque propius ad ætatem extremam accederet, hoc promptiora cunctis ad fruendum sua præbere bona Paulinus; [Paulinus æs alienum facit pauperum causa.] instar pomiferæ arboris, quæ graves fructibus ramos, quo propius ad maturitatem provenit, eo pronius, velut ad legendum invitans, incurvat & offert. Nec sua modo præbere, sed & quidquid (vel mendicorum causa sese mendicum faciens) undique posset ipse corradere, vel ad eum jam pro nota misericordia tamquam ad benignitatis publicæ præsulem, & inopum annonæ curatorem, ultro submitteretur. Denique nihil dubitare, cum omnia defecissent, nomina facere, de fide securus, ut qui præde fidebat Deo; cujus arca sumptu locupletatur; eique patet & exuberat maxime, qui creberrime & plurimum sumpserit. Itaque ubi decedendi dies appetiit, nihil repositum inventum est; vacua horrea, cellæ exhaustæ, loculi inanes, nuda plane domus. At animam magnam jam penitus fides ac beata spes, jam caritas, jam gaudia cæli, & immortales divitiæ, & Dei singularia dona complerant.

[71] Sanctissimi Antistitis migrationem mirabilem Uranius, cui præsenti datum est interesse, nobiscum hac descriptione communicavit: d ..... Circa horam quartam noctis, omnibus qui aderant solicite vigilantibus, subito tam ingenti cellula ejus terræmotu concussa est, ut hi qui lectulo ejus assistebant, exterriti atque turbati, [Terræmotus in ejus migratione.] ad orationem se jactarent, nihil tamen scientibus his, qui pro foribus

consistebant: neque enim publicus ille, sed privatus in cellula fuerat terræmotus; nam ille Angelicis susceptus manibus debitum Deo spiritum exhalavit. [Psal. 131] Hujus terræmotus meminit etiam lib. 3 Dial. c. 1 Sanctus Gregorius, ad hanc Uranii, ut reor, narrationem respiciens .... Decessit sanctus Paulinus anno salutis humanæ CCCCXXXI decimo Kalendas Iulias, quo die memoria ejus sacris Romanæ Ecclesiæ Fastis cum præclaro elogio indita est in hæc verba: [Encomium ex Martyrologio.] Apud Nolam Campaniæ urbem natalis beati Paulini Episcopi & Confessoris; qui ex nobilissimo & opulentissimo factus est pro Christo pauper & humilis ............ Claruit autem non solum eruditione & copiosa vitæ sanctitate, sed etiam potentia adversus dæmones: cujus præclaras laudes sancti Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & Gregorius scriptis suis celebrarunt. Ejus corpus Romam translatum, in Ecclesia sancti Bartholomæi in Insula una cum corpore ejusdem Apostoli honorifice asservatur. Ad potentiam adversus dæmones hic descriptam pertinere crediderim multa ex iis, quæ Paulinus ipse narrat ad S. Felicis gesta corpus. Namque mos est Sanctorum, in Sanctos alios ab se laudes avertere: ut sanctus Benedictus Mauri super aquas incessum, obsequio tribuebat discipuli; is in merita referebat Magistri.

## ANNOTATA D. P.

Hic incipiebat Auctor commendare Sancti caritatem tantam, ut exhaustis quæ largiretur ceteris, seipsum quoque impensum voluerit vicariam pro filio Viduæ apud Wandalos in Africa captivo, servitutem subeundi & verbotenus subtexit historiam ex initio lib. III Dialogorum Gregorianorum acceptam: sed hanc in appendice ostendam ad Paulinum III & seculum VI pertinere. Quare a pagina 721 ad pag. 725 transeo.

Verba Gregorii hæc sunt: De cujus etiam morte, apud ejus ecclesiam scriptum (utique in præcitata Uranii epistola) quia cum dolore esset lateris tactus, ad extrema perductus est; dumque ejus omnis domus in sua soliditate persisteret, cubiculum in quo jacebat æger facto terræmotu contremuit, omnesque qui illic aderant nimio terrore concussit; sicque sancta illa anima carne soluta est.

Reliqua Martyrologii verba hic omissa, compendio tradunt id quod prolixe Gregorius narrat de Wandalica servitute, & ad alium Paulinum spectare multo juniorem, jam dixi.

## CAPUT IX.
## De operibus sancti Paulini, servatis & amissis.

# Pars IV

[72] Monumenta Paulini sapientiæ pro viri magnitudine, sane modica extant. Causa duplex videtur. Primum, [Opera Paulini pauca extant,] quod multa interierunt: deinde, quod ad scribendum ex instituto contemplatione posteritatis animum ipse non appulit. Interiere quæ scripsit ante progressum ad vitam severiorem, haud dubie nec numero pauca, & genere nobilia, cum tantam Oratoriæ & Poëticæ facultatis gloriam adeptus esset. Neque enim is erat, qui ea ætate a scribendo abstineret. [quia multa perierunt] Quod significat Ausonius, dum interrupta secum litterarum & carminum dolet commercia; dum privatim litteras quasdam commendat, quas oppido quam litteratas appellat; & poëma deprædicat, quo tres de Regibus Suetonii libros in compendium redegerat tanta elegantia, solus ut videretur assecutus (quod contra naturam est) brevitas ut obscura non esset. [versu,] Alia vero epistola de Poëmate alio idem Ausonius: Illud de epistolarum tuarum eruditione, de Poëmatis jucunditate,

de inventione & continuatione, juro omnia, nulli umquam imitabile futurum, etsi fateantur imitandum. Hæc itaque Poëmata nulli imitabilia perierunt. [epist. 21] Scripsit etiam Paulinus statim, opinor, ut sanctitatem penitus intravit, aliquot Hymnos, quos laudatos ab Alipio significat idem, dum ex eo quœrit, quem nam e suis Hymnis viderit. Præterea multo plures quam extent condidisse S. Felicis Natales, [rhytmo,] apud me indubitatum est, ut supra quoque notavi, cum quotannis votivum veluti munus persolveret, & tot annos ibi vixerit. [epist. 45.] Et quidem. Dungalus (quod nuper animadverti) in Auctario Patrum editus, in libro adversus Claudium Taurinensem, quindecim enumerat: & præclara etiam quœdam ex iis, quœ non exstant fragmenta profert, quœ nos addenda huic editioni curavimus.

[73] At e solutœ orationis operibus, ante omnia intercidit Liber pro Theodosio, [& prosa] cujus desiderium doctis viris intolerabilius reddit magnifica illa S. Hieronymi approbatio. Alipii res, uti supra diximus, a sancto Augustino missas ad Paulinum (sicut receperat) & traditas ab eo memoriœ, simile vero est: neque enim probabile quidquam succurrit, unde consilium benevolentiœ plenum, & honestatis impeditum immutatumve sit. At eam quoque lucubrationem desideramus. Uti sancti Genesii res, ejus, qui apud Arelatenses martyrium fecit, ne paulatim intercidererent, ipse litteris illigavit, ita nihil apud me dubii est, quin eodem studio historias id genus alias scriptitarit. De Gazophylacio, non epistola, sed cohortatio est popularis. De eo genere certum haberi debet multa elaborasse, quœ œvi vetustas, & publicœ calamitates, & hominum incuria aboleverint. Nam qui tam benignus erat in pascendis corporibus, eum injurium sit suspicari fuisse in pascendis animis negligentem, prœsertim postquam creatus est Pastor. Scripsisse etiam contra Ethnicorum impietatem, significant illa de S. Augustini epistola, Adversus Paganos te scribere didici ex fratribus. Siquid

de tuo pectore meremur, indifferenter mitte, ut legamus: nam pectus tuum tale Domini oraculum est, ut ex eo nobis tam placita & adversus loquacissimas quæstiones explicatissima dari responsa præsumamus. [epist. 34.] Fortasse tum scribebat ad Jovium ea quæ extant oratione tum soluta tum vincta. Jam epistolarum ingentem numerum excidisse, satis liquet ex epistolis quæ supersunt ejus, & aliorum ejusdem temporis.

[74] In summa, operibus cujusque generis nos carere multis, quæ tererentur sua ætate, docet sanctus Eucherius illustri illo præconio, Paulinus quoque Nolanus Episcopus, [S. Eucherii testimonium.] peculiare & beatum Galliæ nostræ exemplum, ingenti quondam divitiarum censu, uberrimo eloquentiæ fonte, ita in sententiam nostram propositumque migravit, ut etiam cunctas admodum mundi partes eloquio operibusque resperserit. [epist. Parænet. ad Valerian.] Gennadius vero hunc Operum ejus indicem texit: Paulinus Nolæ Campaniæ Episcopus composuit versu brevia, sed multa: & ad Celsum quemdam epitaphii vice consolatorium libellum super morte Christiani & baptizati infantis spe Christiana munitum: & ad Severum plures epistolas: ad Theodosium Imperatorem ante Episcopatum prosa Panegyricum super victoria Tyrannorum, eo maxime, quod fide & oratione plus quam armis vicerit. Fecit & Sacramentarium, & Hymnarium. [Gennadii index] Ad sororem quoque epistolas de contemptu mundi dedit, & de diversis causis disputatione diversa tractatus edidit. Præcipuus tamen omnium Opusculorum ejus, est liber de Pœnitentia, & de Laude generali omnium Martyrum. Claruit temporibus Honorii & Valentiniani, non solum eruditione & sanctitate vitæ, sed & potentia adversus dæmones Hæc Gennadius: qui aptius dixisset, Epitaphium de Celso puero, & Panegyricum pro Theodosio Imperatore scriptum.

[75] Suspicati sunt quidam, inter sancti Augustini epistolas duodequadragesimam, [De epistolis ad Lætum Armentarium,] quæ ad Lætum inscribitur, & quadragesimam quintam ad Armentarium & Paulinam, itemque inter epistolas S. Hieronymi quartamdecimam de Institutione matris familias ad Celantiam, nostri Paulini esse. Nulla nobis satis videtur, quamvis auctorem præferant eloquentem ac pium. Minus tamen de ea, quæ ad Celantiam est, dissentimus. Habet enim multas Pauliniani styli notas, [Celantium,] & quasdam familiares ei figuras. Quod autem compositio minus interdum adstricta sit, de industria fortasse, cum ex instituto & præcepta ducendæ vitæ, & ad matronam scriberet, suam illam implexam concinnitatem remiserit. * Denique digna nobis visa est usum spectantibus, quæ in hæc Opera insereretur. Marianus Victorius, inter epistolas incerti Auctoris, [& iis quæ ex 9. Tomo S. Hieronymi Paulino attribuuntur:] quas S. Hieronymo falso adscriptas in Operum illius Tomum nonum rejecit, plurimas censet stylum Paulini redolere, & nominatim quartam ad Marcellam, de tolerandis adversis; quintam ad Virginem, in exilium missam; vigesimam tertiam, in qua redarguitur quidam, quod Levitam lapsum consolatus non sit; & vigesimam quartam ad Militem, ut ad Christi militiam transeat. Hæc postrema extra controversiam est, jamque diu inter Paulini epistolas edita legebatur. * Ceterarum quarta maxime accedere ad dictionem Paulini videtur, propter eaque edidimus & illam hic: aliis, quamquam non prorsus indignas Paulino, tamen quod ejus esse non censebamus, operæ non duximus volumen onerare.

[76] [De S. Hier. ep. 103. ad Paulinum de Scripturæ libris.] Quo loco & illud monuerim, epistolam sancti Hieronymi de sacræ Scripturæ libris, plane videri ad nostrum Paulinum datam, quamvis maximus Scriptor ob eam conjecturam neget, quod & aliquantum discrepet ab epistola de professione Monachi ad eumdem ante scripta, & nullam

illius faciat mentionem. [Baron. Anno 394] Quam conjecturam inscripto primum refellit, ad hoc tempus a doctis recepta: deinde, quod ad Monachum scribitur, qui patrimonium de Euangelii consilio vendebat erogabatque; cujus morum honestas, contemptus seculi, fides amicitiæ, Christi amor laudatur; præterea quod inscribitur ad hominem eloquentem, cujus prudentiam, & eloquii venustatem ipsa ejus ad Hieronymum epistola prætulisset; qui multum proficere in divinis litteris posset: denique, qui non modo litteras suavissimas, sed & munuscula miserat, qui mos erat perpetuus Paulini Nolani. Atque hæc omnia ita in eum cadunt, ut in neminem aptius. Nec vero inter priores litteras atque posteriores discrepantia major, quam convenientia est. Haud enim obscure invitarat ad se epistola quoque priore Paulinum Hieronymus; quem ubi artificiosa insinuatione nihil pellectum vidit, tum scilicet ad apertam commonitionem processit. Quod vero ad extremam epistolam de patrimonio haud lente dividendo monet; non idcirco, quod in ea re lentior Paulinus fuisset, memorat; sed quod ad condendas Fundis & Nolæ basilicas cum aliquid reservasset, minus sincera fortasse rei fama ad Hieronymum in Bethlemium secessum penetrarat.

[77] Quærat aliquis, quid ita tantæ vir expectationis & facultatis magna Opera molitus non sit, [Cur is magna Opera non scripserit.] vel certe cur linguæ præclaras opes, & rarum illud lumen ingenii non ad illustranda ex instituto divina monumenta contulerit: itemque quid sit, quod tam facile quæ condidisse scimus, effluxerint. Respondeo, utriusque causam rei eamdem esse, mirabilem viri humilitatem, & contemptum sui, ut magna ex parte quadret in eum quod de sancto Pamphilo Martyre scriptum ab Eusebio refert sanctus Hieronymus: Et ipse quidem proprii operis nihil omnino scripsit; exceptis epistolis, quas ad amicos forte mittebat: in tantum se humilitate dejecerat. [epist. 67.] Veterum

autem tractatus Scriptorum legebat studiosissime, & in eorum meditatione jugiter versabatur. Certe Paulinus non modo veterum, sed tempore eodem florentium Doctorum scripta cupidissime perlegebat, maxime autem sancti Augustini. [Quanti fieret a S. Augustino.] Ipse vero permagni fiebat non ab aliis modo, sed etiam ab ipso S. Augustino, qui & consulebat eumdem in rebus obscurioribus quibusdam, & consultus ab eo profitebatur se proficere per illius interrogationes, de quibus ajebat: Cum interrogando disputas, & quæris acriter, & doces humiliter: cujus etiam pectus, ut paulo ante demonstratum est, oraculum Domini appellabat. [epist. 59.] At Paulinus latendi cupidus, nec se idoneum ducens qui sacramenta Christiana Doctoris auctoritate tractaret, Opusculis levioris operæ contentus erat. [epist. 35.] Desiderio, qui explicationem postularat verborum, quibus Patriarcha Jacob filiis benedixit, ingenue respondet, [Quam se ipse despiceret.] tantorum nominum & mysteriorum pondera se ne digito quidem ausum tangere. [Sap. 1. 4.] Legi enim, inquit, In malevolam animam non intrabit sapientia: & ideo malitiæ meæ conscius, non potui divinæ revelationis habere fiduciam, cum prudentiæ lucem tenebroso corde non caperem.

[78] Quo loco subit nostrorum calamitas temporum, cum levissimi & nequissimi hominum non attingere modo cælestium arcana litterarum audeant, sed & sibi unis, contra sancta veterum Doctorum oracula, contraque firmamentum & columnam veritatis Ecclesiam credita & patefacta, corde impio & ore polluto jactent. At Paulinus non ab impia solum arrogantia, sed & a reconditarum ferme inquisitione rerum, quarum tenuia vestigia divini prodiderunt codices, quamvis sancti eas Doctores pie scrutarentur, abstinendum sibi putabat, cura prope omni ad actionem ab cognitione traducta. [epist. 44.] Itaque sancto ipsi Augustino ita respondet: Quæ vero post resurrectionem carnis in illo seculo Beatorum futura sit

actio nostra, tu me interrogare dignatus es. At ego de præsenti vitæ meæ statu & medicum & magistrum spiritualem consulo, ut doceas me facere voluntatem Dei, tuisque vestigiis ambulare post Christum: & mortem istam Euangelicam prius emori, qua carnalem resolutionem voluntario præveniamus excessu; non obitu sed sententia recedentes ab hujus seculi vita, quæ tota tentationum plena; vel, ut tu aliquando ad me locutus es, tota tentatio est. Nec tamen postea omittit ad propositam quæstionem pie docteque, quod succurrebat afferre.

[79] Et Augustinus ad sensum accommodans se modestissimi viri, epistola sequenti multas ei dubitationes, quæ non tam ad scientiam quam ad conscientiam pertinerent, [Quæstio consideranda curatoribus animarum.] & ad docendum totam vitam tentationem esse, proponit, initio ex ea ducto, Omnis quæstio, quæ agentes quærentesque conturbat homines, qualis ego sum, illa est, Quonam modo vivendum sit, vel inter eos, vel propter eos, qui nondum vivere moriendo noverunt, non resolutione corporis, sed quodam se a corporalibus illecebris evertentes mentis affectu. [ep. 250.] Plerumque enim videtur nobis, quod nisi eis aliquantulum congruamus, ad ea ipsa, unde extrahi illos cupimus, nihil cum eis salubriter agere poterimus. Quod cum facimus, talium delectatio subrepit & nobis; ut sæpe etiam loqui vana delectet, auremque præbere loquentibus; non arridere tantum, sed etiam risu vinci, ac solvi, Ita pulvereis quibusdam, vel etiam luteis affectibus nostras animas aggravantes, laborosius & pigrius levamur ad Deum, ut vivamus Euangelicam vitam, moriendo Euangelicam mortem. Quam vellem ad hanc, & subjectas id genus quæstiones, & ad eam quam epistola sexagesima, quinta de agnoscenda Dei voluntate eidem proposuit, extarent Paulini responsiones! haberent profecto solatii multum ac lucis, qui idem ad celsiorem sapientiam iter per easdem difficultates carpunt. Inde

tamen elucet, illæ sanctissimæ & eruditissimæ animæ, quas aureo inter se nodo Christi caritas copularat, quibus officiis, quibus negotiis commercia litterarum necterent; quam accurrate in expoliendis sese ad religionem purissimam, quam submisse & candide communicantes invicem animorum statum, petentesque & conferentes opem, insisterent.

[84] Porro Augustinus ut Paulino morem gereret, qui sciscitatus erat, [Augustini ad Paulinum libri] ecquid prodesset apud Sanctorum humari corpora, librum edidit, qui extat de Cura gerenda pro mortuis. Ad eumdem est, par libro sane ponderoso epistola adversus Pelagianos: cujus idem in libro de Bono perseverantiæ, & Prosper adversus Collatorem meminere. Hanc autem scripsit propterea, quod Nolæ audierat esse Pelagianos adeo pertinaces, ut citius ipsum Pelagium, si Catholicis (quod simulaverat) consentiret, quam haustam jam animo ejus hæresim deserturos ferrent. Ergo quo munitior Paulinus ad expugnandam hominum pertinaciam, & redarguendos errores fieret, Augustinus si quid posset adminiculi suggerendum putavit, ut ipsemet sub finem testatur, cum se quoque Paulini epistolis juvari in eam facultatem diceret: profertque ex octava ad Severum epistola locum illum, in quo Paulinus Severo de postulata ab se picta imagine sui respondens, quam vitiata natura sit, & quantopere divina gratia egeat, profitetur. Unde duo constant: primum, quam epistolæ Paulini spargerentur, cum & familiariter datæ in Galliam, usque in Africam differentur. Quamobrem etiam Uranius scriptum reliquit, cum omnes cuperent virum Dei tantum videre, quibus hoc potiri non dabatur, saltem cupiisse aliquid ejus epistolarum nancisci. Deinde, quam sine causa illa sancti Augustini contra Pelagianos epistola ad Bonifacium inscribatur.

[80] Sed ad Paulini ut Opera redeamus, is illa usque adeo negligebat, [Paulinus quam negligens Scriptorum suorum] ut paucarum quæ supersunt (si tamen illæ ipsæ supersunt) epistolarum, Sancto & Amando, qui collegerint, præcipua gratia debeatur. Quod ita præter opinionem Paulini est factum, ut eos sic alloquatur in epistola, quam nunc primum Plantinianæ editioni inseri curavimus. Legimus, inquit, in tergo epistolæ annotationem epistolarum, quas meas esse indicatis: nam vere prope omnium mearum epistolarum ita immemor eram, ut meas esse non cognoscerem, nisi vestris litteris credidissem. [epist. 26.] Unde majus accepi documentum caritatis vestræ, quia plus me vobis, quam mihi notum esse perspexi. Itaque cum vir totus ad agendum conversus, adeo prope contemptim scriptitaret, & scripta negligeret, haud mirum est, si partus velut a parente deserti præmortui sint, magna sane nostra jactura. * Illud quoque monere visum, extare nomine Paulini ad Ruffinum epistolas duas Operibus ejus præfixas, quas passus sum Paulinianis addi; quamquam stylus, magis affectatus a quopiam ad similitudinem Paulini, quam genuinus ipsiusmet Paulini videatur. [Ep. 32] Porro scriptorum Paulini ea propria laus est, sancti Augustini judicio, ut suavi fragrarent odore Christi. [licet aliis laudatus.] Apollinaris autem Sidonius, dum alias aliis Scriptoribus laudes attribuit, Paulinus, inquit, provocat. Quod de singulari acrimonia interpretor, vique suavissima, qua legentes ad obsequium Christi, & exactam consiliorum ejus custodiam provocat, allicit, atque incendit. [lib. 4 epist. 3.] Ad extremum, meminisse illud oportet, hæc ipsa quæ habemus, multo esse inferiora plausibili illo viri eloquentissimi ingenio & ore: quia per id tempus, qui serio dedicabant animum pietati, religiosum quoddam non ceterarum modo rerum, sed etiam eloquentiæ temperamentum assumebant, quod de sancto Cypriano nominatim sanctus Augustinus scriptum reliquit. [de Doct. Christ. l. 4. cap. 21.] Præterea in tanta profanarum

litterarum eruditione omnino mirum est, [Mirus contemptor Ethnicæ eruditionis.] quam parce illa Paulinus, quam considerate utatur; adeo jam nihil se nisi cum Paulo Christum, & hunc crucifixum, scire arbitrabatur. Quin etiam, quatenus in illis versandum sit litteris, & quatenus earum ope utendum, pulchre docet, & observatu dignum est in epistola ad Iovium, quem traducere ad Christum studebat.

## ANNOTATA D. P.

Tali admonitu alios quoque Natales Paulinum procudisse innotuit. Sitim autem movit Muratorio fragmentorum pretium, visisque aliquot undæ guttis, continuo totus illi in votis fons fuit. Itaque dum uberrimam manuscriptorum Codicum seriem lustrat, quæ in Bibliotheca Ambrosiana asservatur, incidit illi in manus antiquissimum volumen, in quo Venantii Fortunati, Prosperi, Iuvenci, Aratoris, aliorumque veterum Christianorum carmina continebantur; tres & decem S. Paulini Natales ibi exaratos invenit; quos cum Dungali fragmentis collatos germanum protinus tanti scriptoris fœtum sibi & orbi litterario est gratulatus. Codex venerandam sapit vetustatem, characteres quadrati ac minutissimi, miraque venustate rectis lineis inter se distincti seculo ut arbitratur Muratorius nono elaborati fuere. Quindecim porro Natales Paulinum cecinisse hucusque creditum; cum expresse carmina Dungalus tum ex XIV tum ex XV citarit. Verum Auctor iste, aut librarii in illo exscribendo decepit fuere: quæ enim carmina ex Natali XIV hausta referuntur omnino rejicienda in XIII, codex inventus & rerum ordo evincunt. Itaque Natalis apud Dungalum XV hinc inscribendus erit decimus quartus, quem in Membranis istis descriptum non fuisse vehementer dolemus. Subsequebatur in prædicto codice aliud Paulini poëma absque titulo; quod, uti summa refertum eruditione, producendum quoque existimavit Muratorius:

ex cujus dissertationibus & Chiffletii animadversionibus circa Paulini epistolas nonnulla fortassis observari possent ad hoc Vitæ caput utilia, sed non licet modo talibus immorari.

Felix Theodosius, inquit Hieronymus ad Paulinum, qui a tali Christi oratore defenditur. Illustrasti purpuras ejus &c. ad quæ verba animum advertens Chiffletius, Vix de mortuo quis sic loquatur, ait, ut quem purpuris suis mors exuerit, & extra hostium tela eo transtulerit, ubi opus non habeat defensore. Igitur, vivumne an mortuum Theodosium Paulinus laudarit, in dubio relinquit. Quia tamen oratio illa, e Nolanis emersit latebris, in quas exeunte anno 394 sese abdiderat & Theodosius obiit an. 395, 17 Ianuarii; veretur idem Chiffletius ut vivo adhuc Theodosio cudere per tempus licuerit opus tam laudatum.

Hic finieram, cum in manus venit Carmen votivum Paulino Nolano, anno Jubilæo MDCXXV, auctore Justo Riquio Belga: item Ode ejusdem argumenti, ad Illustriss. Petrum Cardinalem Valerium, Patavinum Episcopum, excusa Romæ typis Andreæ Phæi 1626, quæ Heriberto Rosweido, de Paulini operibus ante quadriennium tam bene merito, Auctor observantiæ ergo dono mittit, uti hujus manu adscriptum lego. Præfatur ille, quod jam aliquot ab annis faciebat, anno jubilæo fecisse paulo solennius ut Divi Paulini Antistitis sanctissimi Natalem versibus celebraret. Ode stropharum quatuordecim minoris momenti est operæque levioris, ut & ea qua Cardinalem rogarit Auctor, tueri velit versiculos, projectos, subitaneos, & fortasse inconditos. Sufficit ergo Carmen quod accuratioris plane studii est.